


Cc 10




DISSERTATIO  
ANTIΛΟΙΔΟΡΙΑΣ  
JUSTITIAM

Impugnans  
AUCTORE

MICHAELE FRIDERICO LEDERERO  
J. U. D. & Acad. VVitt. P.P.



Typis MICHAELIS MEYERI, Anno 1672.



DISSERTATIO

ANTILOPIAZ



IUSTITIAM

IMPUGNANS

NUCTORE


MICHAELI FRIDERICO LEDERERO

J. U. D. & Acad. Vices P. R.

1774

Typis MICHAELIS MEYER, Anno 1774.





Q. D. B. V.



Sicut felix meritò Poetæ iudicio effertur, bona quem detinet fama; ita vicissim, quò frequenti, lausare eam & violare molitur mordax ingenii humani prurigo, eò anxius in illà defendendâ desudare assolent felices illius possessores. Et est utiq; res labore etiam ducissimo dignissima: modò ea perpetuò eidem obrinendâ juxta ac retinendâ adhiberentur remedia, quæ innatâ commendari mereantur iustitiâ. Id sane omnes ingenii ingenue hæcenus fassi, bonæ existimationi inter eas felicitates, quas adipisci in hæc mortalitate humano datum generi, post vitam primum deberi locum. Quid equidem juvaret, commorari in mortalium cœtu, illi tamen expositum esse conceptui, qui ob moralis vitæ defectum naturalis conciliaret invidiam; quod vivere non sufficiat, sed, ut vita benè ac honestè transigatur, nec minus naturalis cognationis, quàm publicæ insuper salutis ratio exigat.

II. Quemadmodum enim ultimus cognationis à naturâ constitutæ finis in eò potissimum consistit, ut membra illius vinculo colligata eâ morum teneantur conformitate, quæ spem dulcissimæ perpetuitatis non vulgarem pollicetur; sic versa vice toties ea periclitari videtur, quoties alter alterius existimationem suppressendò & in reliquorum animis nefariè sufflaminandò commune consortium interturbare non veretur. Cerrè, non possunt societatis amicæ commercia, quibus ex naturæ votò obstricti invicem hæremus, felicius coli, quàm ab illis, qui nullâ odii virulentiam occupati bonam aliorum famam sive extollere sive servare pro virili inter cœtera satius du-

cent, quam nefario illius contemptu luxuriantibus attendere affectibus. Eò equidem fastigii effrenis morum barbaries progressa jam dudù, ut pleriq; ex causa levidensi, & quæ ab aliò cordatiori pravasq; libidines coercere non nesciente vix animo fuisset subducta, cæcò impetu in transversum rapiantur, nec prius acquiescendum sibi existiment, quam omne acerbitatis ac maledicentiæ virus in offendentem evomuerint.

III. Sed verò quantà flagitii feditate se obstringant tam perditæ mentis homines, vel ex eò satis comprobari confido, quod justam DEI non minus ac Magistratus, quam proximi & sui tandem ipsius indignationem incurrant. DEUS certè, cum hominem ad sui ipsius imaginem primariò juxta Theologorum doctrinam ratione appetitus rationalis, in spontaneâ erga DEUM obedientiâ & justitiâ ac sanctitate legi DEI perfectè conformi, respectu verò sensitivi appetitus & affectuum in amicâ cum superioribus animæ facultatibus conspiratione consistentem condiderit, ideò, si in concreta ea perstitisset perfectione, ea dilectione proximum fuisset prosecutus, quâ DEUS ipsum amplexus. Et licet pertristem Protoplastorum lapsum prædictæ DEI imago in ipsis non modo, sed & integra eorum posteritate si non perdita penitus & amissa, obscurata tamen valde & deformata fuerit; rudera tamen & reliquiæ ejusdem in natura super sunt corruptâ, quarum beneficio, quid sanctitati voluntatiq; Divinæ conformis satis, cognoscere quàm felicissimè valet.

IV. Cùm itaq; nil magis creaturæ convenire videatur, quam id laborare, ut actibus suis, quantum in ipsa est, creatori quàm maxime reddatur conformis; ideò ea ipsa ex dictamine præprimis rectæ rationis communi concordie omni operâ vacare, & ea vicissim, quæ ruinam illius minari videntur, vatiniâno prosequi odio erit obstricta. Conscia alioquin, se protervè reluctari voluntati & dispositioni divinæ, eam dilectionem, quâ ipse DEUS creaturas prosequitur, inter ipsas ad invicem creaturas postulanti. At verò, nonne illi communi concordie bellum quasi indicunt, & instar immanis bellæ publicæ omnium pacem, & tranquillitatem invadunt, qui præcipiti affectuum æstu in obliquum abrepti tota non rarò convictorum planstra in proximum suum obstrictam sæpenumero aut præconceptam offensam exonerare non verentur. Et ponas, aliquem  
ab

ab altero injustissimo laessurum modo; pulchrius tamen erit, si quid injuria illatum, longaminitate vincere, quam mutui odii pertinacia compensare. Neque enim, ne proximo irascamur, divino tantum veritum mandato, sed inimicorum insuper nostrorum dilectio nobis omnibus se verè demandata.

V. Et licet læsus ab omni sibi temperaverit injuriã, insultans tamen impunis ea propter non evasurus, sed implorato Divini Vicarii auxiliò severam satis incurret animadversionem, ut alii illius exemplo deterriti bonæ frugis esse & modestiæ in posterum melius assuescere discant. Certiores facti, Deum dedisse gladium Magistratui; quo periclitanti alterius innocentia succurrere, & eos, quibus procacissimis violare eam verbis volupe, tanto acerbiori animadversione castigare tenetur, quanto magis crescit in dies & augetur tetra conviciandi libido. Nec minus charitatis illius, quã proximo nostro omnes obstricti, immemor planè existit, quisquis eum de se haut raro bene meritum probro afficere, & contumeliosè tractare non dicit opprobrio. Natura certè juxta Florentinum Jotum (: non erraveris, si ve naturantem, si ve naturaram velis intellectam:) inter nos cognationem quandam constituit; cujus cognationis consequens est, hominem homini insidiari nefas esse.

VI. Mihi perinde videtur, ac si Jotus ira fuisset effatus: quoniam homines cognationis vinculo sibi invicem sunt conjuncti, cognatis autem præ reliquis curæ cordiq; esse debeat, cognatorum salutem promovere, & ea, quæ nocumento ipsis futura, procul repellere; idè ex istà cognatione ab ipsa natura immediatè constituta tanquam necessarium consequens fuit, hominem hominem non odio, sed amore mutuò prosequi debere. Implantata eà fini humano pectori principia, ex quibus infallibiliter colligere licet, quid facere ipsi, quidve vicissim omittere & fugere incumbat: Ut pote quod tibi non vis fieri, alteri nefeceris, alterum non esse lædendum, suum cuiq; tribuendum. Nullus itaq; sui adeò negligens vel desperatæ vesanie defacili erit, ut bonam sui existimationem probris atq; contumeliis lancinari ab aliò maleferiatò homine atq; prosciadi impune, impotenti perferre velit animo. Quò ipsò se ipsum satis obligatū sentiet, ut obdurate constantia de omnibus communi cognationis vinculo sibi devinctis nil nisi benè sentiat, & quicquid bono ipsius

L. 3. ff. de d.  
7. & 7.

nomini ac existimationi illudere quovis modo videtur, obfirmato  
avertat animo.

VII. Ut ut enim convitia evomens vitam alterius naturali non  
struat insidias, id tamen agit omnino, quod civili insultati beatitati  
detrimento cedere potest. Delictorum equidem series adeo arctis  
proh dolor, non circumclusa limitibus, ut alia maleficiorum genera,  
præter ea, quæ fati inducunt propter rationem, eidem accenseri neque-  
ant. Fama certe & bona supersunt, quorum decrementum tantum  
existimate assolet vir cordatus, quanti ab omnibus vita judicatur. Ut  
infamiam meto Pauli iudicio viris bonis major quàm mortis esse debet,  
ita eò acerbius delinquit merum istiusmodi suo incutiens proximo.  
Et ea propter merito addubiravit Julianus, quæ curâ aut diligentia con-  
sequi possimus, ne aliquis damnum injuria det. Vel ad minimum certe  
eò jure privatur injuria affectus, ad cujus exhibitionem devinctus  
fuisse injuria lacescens.

L. 8. §. pen. &  
quod metus  
causa.  
L. 19. & com-  
mod.

VIII. Illis enim non ausim assentire, qui in eò furtum & injuri-  
am convenire asserunt, quod sicut eò patrimonium, ita vicissim hæc  
ipsa bona existimatio invito fraudulenter surripiatur. Ex quò injuri-  
ans Germanis ein Ehrendieb vulgò appellatur: Quod si surreptionem  
ab inani vulgi conceptu dependentem intelligant, in consentiendo  
facilis ero; Si realem velint intellectam, intrepide contradixero.  
Difformis planè bonorum & famæ conditio existit: illorum natura  
ita comparata, ut contractari i. e. de loco ad locum moveri apte  
nata, bona autem existimatio à subjecto suo adeo avelli non potest,  
ut quis pro lubitu bonam adimendo malam eidem conciliare valeat:  
nisi forte conatum improbum cum eventu infelici non sine absurdâ  
illatione malis confusum. Fateor, attentare, quantum in ipso est,  
calumniantem bonæ alterius existimationi stigma inurere, even-  
tum autem intentioni non respondere, pluribus deducam inferius.  
Quidquid tamen sit, quò præstantior pretiosiorq; omnibus divi-  
tiis bona fama merito censetur, eò majoris flagitii nota se obstringit,  
qui existimationem alterius inquietare non erubescit, quam qui rei  
alienæ usurpationis se reum facit.

IX. De cæterò non diffiteor, præsentem delinquendi modum suis  
constare gradibus; altero acerbio rem, altero remissio rem animadver-  
sionis rationem exigente. Diversis equidem & infinitis verè discrimi-  
nibus



minibus illibatam existimationem, partam præprimis ab antecessoribus, sive etiam propria arte Marte ve acqvisitam exponi in apri-  
cò positum. Interea mirari omnino subit, non deesse, qui, nescio, quò ducti spiritu, famæ suæ & existimationis rationem vel nullam planè habent vel parum & perfunctoriè saltem, adeò, ut, juxta dicterium, stoico stomacho digerere injurias ac obliquos calumniæ ictus masculè illudere, heroici animi notam interpretentur. Plariq; vicissim animi fœminei ac inpotentis censent, devorare calumnias, nec id omni ope contendere, ut ex confestim reducantur in fontem spurcissimum, ex quò antea profluxêre. Utriq; affectibus nimis indulgent: illis in defectu, his in excessu delinquentibus: neuris medium accuratè satistentibus. Ingente quidem fateor, celsum animum & nil nisi recti consciium affilientes calumniæ fluctus generosâ mente susq; deq; habere; gnarum satis, in concussam persistere existimationem, quam in cordatiorum nactus animis, adversus mordacem malevoli hominis ferociam. Quo minus tamen ex eò inferre audeam, lacesitum injuriis se non movere, æquò potius animo perferre debere, pretium bonæ famæ ab alterâ parte, ab alterâ verò effrenis maledicentis me impellit protervia.

X. Illius ratio saniori subducta judicio exasse persuadebit, nullius juris vinculo aliquem ad immoderatam istiusmodi patientiam obligari, sibi potiùs ut consulat tempestive atq; prospiciat, securâ bonæ existimationis possessione unumquemque teneri. Licet enim nonnullis rerum moralium Doctoribus concesserim, famam suam dissipantem, non secus ac bona sua, directo alteri non facere injuriam; in se ipsum tamen satis injurius est; dum insultari ab aliò contumeliosis verbis inprobe patitur. Augustinus certè crudelem eum censet qui conscientia suæ fidens famam suam negligit. Quin imo nec sibi tantum injurius est sed & proximo suo moribus detrimento vivit, dum suo exemplo eundem arcanis quasi stimulis agit, ut famam suam super vacuum habeat, pendatq; flocci. Hinc Augustinus itidem dislerit: *conscientia necessaria est tibi; fama proximo tuo.* Neq; enim sufficere reor, aliquem id laborare, nè facti turpis fæditate se reddat obnoxium, sed necesse insuper moralis doctrina judicat, id prospicere assiduo, quo minus nota saltem opprobriive suspicionem incurrat, aliiq; sit offendiculo: Quin imo sanctiones Romanæ  
pro-

c. 10. XII. q. 1.

d. c. 10. XII. q. 2.

L. 15. §. 1. *de*  
*his qua ut*  
*indig. auf.*  
L. 1. eod.

L. pen. C. *de*  
*paet.*

L. 38. *de*  
*paet.*

propria injuria vindicta non perpetuo contenta, sed & illius, quae de-  
functus ante laceffitus, ultionem iis, quibus spes succedendi alioquin  
competit, aded imponunt, ut illa omiffa se ingratos eoq; ipsa  
haereditate indignos reddant.

XI. Odii interim virulentiam a satisfactione pro injuria illata ma-  
lim omnino distinctam. Illius remissione quemvis proximo praer  
vinculum, quo Christiani sibi invicem obstricti & naturali co-  
gnatione teneri, esse, de quo nullus haecenus dubitavit; hujus vero  
sive interdictionem sive intermissionem nulla lex imperat aut sva-  
der. Et licet id insuper dederim, aliquem juri suo, quo tanquam  
privatus ex legali concessione uti potest, renunciare valere; boni ta-  
men publici ratio ipsum ceu membrum civilis societatis eo contena-  
dere obligabit, ne concives fallaci impunitatis fiducia ad injurias ef-  
futiendas existimulet proterve. Nec quicquam quidem publicae de-  
cedit vindictae per privatam injuriae remissionem; quippe juris  
publici natura non ita comparata, ut privatorum pactis immutari  
queat; fieri tamen de facili potest contingiq; saepenumero, non de-  
ferri protinus a tertio istiusmodi injurias Magistratui: Denegata  
proinde eidem publico satisfaciendi facultate. Quod si enim ille,  
quem tangit calumniae fulmen, eo non dimoverur, ut de medicina  
illi imposterum averrendo sollicitus esset; quanto facilius sive testis  
sive delatoris partes detrectabit, cujuscunq; aures id tantum per-  
sonavit.

XII. Caeterum, relictis immoderatae istiusmodi tolerantiae hu-  
muncionibus, eos judicio subducenti, qui in injuriantes nimium sa-  
viendo affectibus frena nimis relinqvunt, illico parefcet, horum nu-  
merum illos immaxe quantum superare. Aded quippe per lapsum  
primorum parentum ingenii humani conditio depravata, ut ad ex-  
cessum magis, quam defectum, in iis praecipue vindicandis proum  
existat, quae existimationem nostram in aliorum opinionibus con-  
temptui qualicunq; exponere videatur. Et licet quandoq; termi-  
no indifferenti & adiaphero quis fuerit usus; ut plurimum tamen  
alter pejorem amplexatur interpretationem, non attento, commu-  
nem praesumptionem, quae in dubio verba in meliorem partem inter-  
pretanda, eidem quam maxime reluctari. Ex hinc contumelia ex le-  
videnti quam saepe causa orta excrefcit confestim & ut Homerus  
ait

ait iambiges more jambi ex brevi in longum surgit: exigua enim est  
primum mox se attollit in aures. Quo facilius itaq; homines in forman-  
dis sinistris conceptibus, eò promptiores vicissim ad repellendas ma-  
scule, quas sibi illatas imaginantur, injurias, arreptis remediis ut plu-  
rimum plane illicitis.

XIII. Explora jamdudum sententia, qua nonnulli desperata pla-  
ne ratione, famam cum vitæ periculo restituendam, & justè ad illius  
defensionem privatam suscipi dimicationem asserunt, moti æqvipa-  
ratione, quâ vitam & famam pari passu ambulare tantum non o-  
mnes ex vulgò perhibent. Sicut enim homo vitæ dominiò destitu-  
tus, illam propriò motu accipiti discrimini & periculo subicere  
prohibetur, qualis qualis potius modus eam servandi illibatam legali  
auctoritate concedatur; sic ex diversò cuiusvis famæ dominio gaudenti  
interdicta meritò facultas adimendi alteri rem irreparabilem ob rem  
cujus ademptio in improbi hominis arbitriò nequaquam sita. Inducti  
hiscè & aliis, quæ inferius trutinare animus, fundamentis fictulneis,  
illam persuasionem inanem quidem & exitiabilem plane judicant;  
vicissim tamen in locum armorum verba substituunt, verba verbis,  
æqualitatè servatâ, justè repelli posse sibi persuasum habentes.

XIV. Subscriberem illis quam promptissimus, modo intra impu-  
nitatis cancellos suam constringant sententiam; quod si verò justi-  
tiæ simul & juri naturali eam conformem laudare nonnulli, uti  
sunt, non dubitent, ab illis totus totus recedo. Satis equidem con-  
stare puto, tales dari aëtus, quales recta ratio quidem injustos judicat  
ac vitiosos; quod si verò ad civilem Magistratum eorum deferatur  
cognitio, supplicii fulmina non protinus stringuntur. Dantur quoq;  
aëtus, de quorum justitiâ cum ambigant Doctores, impunium classi  
eos accensere satis hucusq; duxerunt. Perhibetur quidem vulgò, im-  
punitatè à posteriori jus facere; absit tamen, ut illam cum aëtus con-  
fundas justitiâ. Retorquere igitur injuriam moribus receptis impune  
haberi ambabus largior manibus; justum verò id ipsum, nec relu-  
ctari juri naturæ, est quod obfirmato negaverim animo. Ut multa  
conventibus quasi oculis à legislatoribus in civili societate toleren-  
tur, civilis beatitatis exigit ratio; absit tamen, ut seò ipso approben-  
bentur & justa internæ censeantur rationi.

*Lib. 3. de  
concupin.  
L. 5. C. ad  
S. C. tum Or-  
pbit.  
Carpz. Prax.  
Crim. p. 2.  
q. 77. n. 1.  
Hottom: &  
Fmanzk. ad  
S. 2. Inst. de  
Obl. quæ ex  
del. nasc:  
in not. ad  
Grotium lib.  
1. c. 2. §. 7. in  
verb. illud re-  
gnosco*

XV. Concubinatus certè jure Romano per leges nomen assum-  
psisse perhibetur, quin imò licita vocatur consuetudo: Sed enim licē-  
tia hæc impunitatis voce aptius longè ac propriè magis exprimeretur;  
nè alioquin furta apud Lacedæmonios Ægyptios, Gallosq; vere es-  
sæ nec non Germanos olim licita justorum actuum classi absurde inse-  
renda. Permittebatur, non eò intuitu, ac si res justa atq; licita esset,  
sed potius ut ut res natura sua illicita sit, & quoad finem matrimonii  
principalem juri naturæ recta repugnet merèq; libidinis exercitium  
involvar, ob hominis tamen imbellicitatem è Republicâ magis cen-  
suit Legislator Romanus, tolerare concubinatum, quam ut matrimo-  
niorum sanctitas violaretur & fornicationum frequentia augere-  
tur præter intentionem efficere visus fuerit. Agnoscimus & nos differit  
Dn. Caspar Zigler. fuisse quædam à Deo permissa, quælibet re-  
pudii & usuræ erga extraneos sed tantum quoad impunitatem externam. Per-  
missis, inquam, DEUS, ut tolerentur, non tanquam, quæ bona sunt coram DEO  
in conscientia, sed sine & modo politico, ne civiliter punirentur. Non diffor-  
mis de retorsione injuriarum verbalium animo hæret sententia, per-  
mitti nimirum eam i. e. impunem relinqui, nequaquam verò justam  
ac licitam censeri, nisi justitiæ voce, quæ forûm præprimis exterius,  
impunitatem malis complecti.

XVI. Sicut autem in aliis rebus accurata ordinis observatio pri-  
mum & ultimum conficere affollet; sic & in morali hoc negatiô eâ  
methodo procedere allubescit, ut prius fundamenta, quibus internæ  
justitiæ retorsionis patrocinantes nituntur, recenseam, deinceps meæ  
sententiæ argumenta deducam & tandem dissentientibus faciam  
satis Ne autè verborum curam penitus posthabuisse videar, id præno-  
tare allubescit, me satius duxisse, græcâ quam latinâ. uti inscriptione;  
cum vox ἀντιλοιδόρια, naturam negotii nostri moralis exactius longè  
ac penitius, quam latina & vulgaris retorsionis exprimat. Con-  
vitiarum equidem conditio non ita comparata, ut ea, quæ prolata, re-  
vera retorqveri valeant, potius, nisi effusa, ita refundenda aut rege-  
renda. Dicta proinde ἀντιλοιδόρια ab ἀντί contra & λοιδόρια con-  
vitiarum, maledictum. Unde ἀντιλοιδόρειω i. e. convitiarum rezero, aut  
re vel contra maledico. Nec minus tamen necesse ducō, formam  
retorsionis ac substantiam in antecessum eruere; neq; enim quævis  
contradictio injurias evomentis facta retorsionis nomine inscribi de-  
bet,

bet. Quod si equidem injurianti modestè resp. ndeatur, falsò, & contra veritatem convitium prolatum, aut ipsum falsà persuasione ad id proferendum ab aliis inductum esse, vel ut in vernacula loqui assolimus *deme ist nicht also / das ist der Wahrheit nicht gemeeß / oder Er ist unrecht berichtet worden /* nequaquam proferentem istiusmodi verba retorsionis medio usum dici poterit. Cum enim ad substantiam retorsionis desideratum hætenus, ut contradictio, quæ nititur illa ipsa, verbis injuriosis fiat, retorsio quippe injuriæ sine injuriâ remissa expediri nequit, prædicta autem verba sine ulla injuria proferantur & proferri etiam apta nata, ideo proferentem ea retorquere nolim asseverare.

XVII. Neq; enim per istiusmodi contradictionem ulla eidem inferitur injuria, minus mulò ullum crimen vel delictum imputatur, cum vir etiam cordatus & sinceri cordis persuaderi & seduci ab alio possit, ut credat, sine fraude ac dolo se verum proferre, quod tamen re ipsa falsum aut non verum est. Nervæ certe existimationi Pomponius J. C. tus nequaquam detraxit, dum falsum esse, quod ipse respondisset, alicubi asseruit. Mollem autem hanc interpretationem vernacula nostra vix admittet, utpote si aliquis dixerit: *Das ist nicht wahr / vel es sind lügen / die du vorbringest.* Hæc equidem verba Germanorum quis vix concoquere poterit, mendacii potius se inculatum continuo queretur, legali remedio id acerbè satis vindicare laboraturus. Alioquin frequentior modus retorquendi est, si quis adulterii furti, alteriusve delicti iaculatus inculpanti dixerit: *Ich halte dich so lange vor einen Ehebrecher / Dieb etc. bis du mich dessen übersührest.* Quotidiè istiusmodi *ἀναλοιδορία* audire licet, cum eam proferens non aliam, sed eandem, qua ipse insultatus, regerat injuriam, id tantum intendens, ut subtrahere se convitiis, & quæ vulgi opinione ex illis descendit, famæ suæ læsioni valeret.

XVIII. Aliis itidem prædicta retorquendi formula nimis adhuc lenis apparet: quod si igitur injuria affectus verbis *tu mentiris* se tutatur, justius suæq; existimationi conducibilis eum facere opinantur. Ucut enim aliàs hæc verba injuriam sapiant; ab injuria tamen læcessiro contra convitiantem jure ea proferri autumant. Et adeò quidem præconceptam hanc retorquendi licentiam extendit Johannes Gorasius, ut non tantum in loco judicii & in præsentia judicis eâ

L. 29. de  
evic.

ad L. 13. π. de  
Serv.



(a) Pract.  
conclus. part.  
5. conclus.  
64. n. 3.  
(β) Practie.  
Crim part. 2.  
quest. 97. n.  
23. & lib. 2.  
R. 68. n. 6.  
L. 18. pr. & de  
injurio.

tuntò uti liceat, sed is insuper, cui verba *tu mentiri* objecta replicare eadem omnino non valeat. Quinimo Principes Jctorum hodierni seculi Berlichius (α) & Carpzovius (β) nequicquam interesse putant, an in specie quis ei, à quò injuria affectus, respondeat ipsum mentiri, an verò generaliter dixerit, quicumq; hoc dicit is mentitur: Porro an purè an sub conditione retorsio fuerit concepta; cum utroq; casu verba ad honoris defensionem & animo se ipsum purgandi ab injuriâ illatâ prolata censerì debeant. Et imò juxta Paulum Jctum, eum qui nocentem infamavit, non esse bonum æquum ab eam rem condemnari: peccata enim nocentium nota esse, & oportere & expedire.

XIX. Hisce suppositis ad fundamenta quibus ἀντιλοιδορίας justitiam defendentes nituntur, ex ordinis ratione progrediendum. Ante omnia autem ad defensionem jure naturali licitam confugiunt; rati ob illam vindictam quoq; privatam eodem jure licitam censerì; dummodo ea in continenti facta fuerit. Et cum ea vitæ non tantum tuendæ, sed & rerum, implorato judicis auxilio alioqui recuperabilium, licita perhibeatur; quanto magis illa illius judicanda conditionis, quæ in famæ tendit defensionem. Quo magis equidem & alius fama bona reliqua bona temporalia antecellit; eò laxior quoque facultas eam servandi illibatam ac defendendi contra maleferiatos calumniatores cuius concedenda. Maxime, quod eo retorsionis medio satisfactionem, ad quam quivis hominum pronus existit, citius adipisci liceat, quam si Magistratui querilis istiusmodi radiosis molestia concilietur. Quod si equidem injuria laceffitus duobus vel tribus verbis, aut unica schedula ab expensis & sumptibus, quos in vindicantis judiciali auctoritate injuriis facere alioquin debuisset, se liberare suæq; tamen existimationi prospicere satis valeat, quis quæso id ipsi in videbit, aut justitiæ limites eum violare dixerit.

XX. Et imò videtur injuria laceffitus id expedire, ad quod ex boni publici non min⁹ quàm officii bono civi incumbens ratione obstruct⁹. Neq; enim privati saltem status atq; conditio convitiis in eum effusis violatur; sed & publica insuper tranquillitas, grassante calumniantium protervia, periclitari incipit. Quod si itaq; quis repellendo tempestivè injurias statum suum, quò in civili indutus societate, saluum servare intendit, non aliud agere ex mente retorsioni patrocinantium videtur, quam quod ipsi cen membro & parti corporis civilis

vilis convenit. Sicut enim quivis non sibi tantum natus, sed & publico & proximo suo, cujus vitam non minus, quam famam tueri, quantum in ipso, obligatur; sic vicissim ex rationis lege retorquetur in eum injuriæ, quibus sauciare alterius famam improbè annixus.

XXI. Nec minus injurians injuriando deponere videtur partes, quibus ipsi alio quin defungi conveniret; Quidni igitur insultato injuriis eas tueri contra maledicum hominem liceret, arripiendo ea ipsa arma, quibus ipse alium ante adoriri non erubuit. Et licet injuria affectus non incurrat vitæ discrimen, nec famæ perinde ut rebus vis inferri possit, cum fundamentum famæ in honestate morum, vitæ probitate aliisque qualitatibus positum, nec atrocissima injuriæ evertere queant; proferens tamen injurias non tribuit læso injuriis, ad quod tribuendum ex naturæ lege obstrictus est. Neque enim favorabilis defensionis actus ad eò arctis circumscribendus limitibus, ut in damnis vitæ corporique imminentibus tantum obtinere debeat: ad famam quoque bonam is ipse omnino extendendus, cum illis post vitam inter bona temporalia primus locus hucusque assignatus.

XXII. Nec habet injurians, ut queratur de dura *αὐτολοιδόρεια* qualitate; quod si enim ipse calumniari opprobrio duxisset, alterius opprobrio non exponeretur. Edoctus satis principio juris naturæ, quod tibi non vis fieri, alteri nefacias. Potius, quò gravius excedit limites charitatis, quâ cuivis obstrictus, eò magis obligatus injuria lacessitus ad repellendam tempestivè injuriam injustè inferendam cense-  
feri debet. Satius equidem videtur, id laborare, ne hæreat unquam injuria atque radices quasi agat, aut audientiam opinionem, quippe à quâ famæ & integritas & læsio dependet potissimum, afficiat, quam postquam eadem revera illata, & tantum, quantum ex parte injuriantis est, operata eam legali remedio vindicare. Præprimis, quod contra injuriosa verba evomentem ingens præsumptio militet, ipsum uno vel alterò nequa quâ contentum fore, sed in plurima, quin imo acerbiora erupturum, inductum utriusque blanda injuria affecti tolerantia, non secus ac percussus persistendò in rixa repercutere velle præsumitur. Secure itaque retorquens sibi prospicere censetur, & prolatas injurias in tempore repellendo & futuras atque imminentes cantè excipiendo quasi antevertendo. Et licet fortè continuatio conviti-  
orum metienda minime; exerit tamen convitium jam tùm

eructatum vires suas, onerando famam afflicti apud bonos viros, nisi tempestivè ἀντιλοιδόειας auxiliò reprimatur.

XXIII. Quod si insuper bellum privatum à moderamine inculpatae tutelae seu justà offensionis & defensionis proportione suam mutuatur justitiam, quidni & ἀντιλοιδόεια? Et multo magis quidem, quod in illò arma armis, in hâc verò verba verbis tantum repellantur; argumento à majori ad minus communi calculo hæcenus approbato. Peccaret injuriâ pulsatus, si verba verberibus aut armis propulsare audeat, excusandus versa vice, si intra limites proportionis debitæ se contineat, nec acerbiora referat verba, quam quæ adversarius proferre non est veritus. *Hinc ita laeso inquit Dominus Sitavius privatione honoris externi conceditur vicissim ledere privatione honoris externi, ut lesionem sibi illatam per hoc ἀντιπεπονθὸς resarciat.*

*de vindicta  
priv. c. 10. n. 4.*

*exercit. 12. q.  
7. n. 18. & seq.*

*Quest. illust.  
dec. 12. q. 8.  
L. 1. §. 11. w.  
Si quæd  
paup. fe-  
cis. dic.*

*L. 3. §. 1. w. de  
injur.*

XXIV. Ut ut etiam ἀντιλοιδόεια non solam injuriæ repulsionem notet, sed insuper & quandem relaxationem contineat, ea propter tamen injusta protinus non dicenda. In extremò certe vitæ periculo constituto vix satis prospectum foret, si ictus saltem accipere teneretur, armis verò aggressorem repellere non deberet; ea enim ratione non tam vim amoveret, quam adversarium potius sua pusillanimitate animosorem redderet. Non dispari modo ex retorquentium judicio minus vel parum fortè laeso injuriis proficiet sola injuriæ negatio, & simplex repulsio, nisi ut Georgius Franzkius loquitur, accederet relaxans quædam retorsio. Nam jus naturale, dicunt cuiq; non solum defensionem sui ipsius respectu, sed & maxime ultionem lædantis respectu concessit: aggressorem quippe occidere licet. *Ad- noto hic differit Valentinus Rimerus, quod jure natura hac relaxandi, ut ita dicam, potestas tributa sit, ut & reliquis analogia quædam eadem competat animalibus; Sic bos aggressorem bovem impune occidit. Quia imò licet ἀντιλοιδόεια, quatenus recriminationis speciem notat, vel ex eâ ratione injusta dici videatur, quod privatam sapiat vindictam; quod sit tamen ab eò qui insons ab aliò irritatus, facta fuerit, injusta esse desinit, & aliam quasi faciem induit; cum animus injuriandi ab sit & ἀντιλοιδόεια non intentione vindicandi, sed honoris sui purgandi facta centeri debeat. Præprimis, quod omnis injuria ex affectu injuriantis æstimanda veniat, laceffitus au-  
rem*



tem regerendo injurias, id agat, non ut alteri noceat, sed ne sibi noceatur, ut proinde culpa alicujus incusari nequaquam debeat.

XXV. Quod si injurians se offensum vicissim & injuriâ affectum queratur, sibi suâq; audaciâ ac effrenatâ convitiandi prurigini id habebit imputare; Sua utpote culpa damnum sentiens damnum sentire non videtur. Ut ut etiam injuriâ laesurum affectum turbine ad reprimendas injurias agitari concedatur, eô tamen ipsô iterum veniam mereri censetur, quod cuivis homini difficillimum sit ex injuste illata injuria justè conceptum dolorem temperare. Maxime, quod ex Rescripto Imperatorû cuilibet ultionis suæ arbitrium sit concessum. Præcipue, si ea id tantum intenteretur, ut quis suam monstraret innocentiam, & ea, quibus ab improbo homine improbè insultatus, procul repellat convitia. Et ea propter retorquens illi non absimilis judicatur, qui jus iniquum in illum, qui ante id impetravit, justè retorqueret. Unde non desunt, qui ex illô juris naturalis æquè ac civilis principio, quod quisq; juris in alium statuerit, ut ipse eodem jure utatur, nostrâ ἀντιλοιογία justitiam probare juxta ac descendere satagunt.

XXVI. Placet huc transferre verba Henrici Hahnii. Ut enim statuere aut impetrare jus novum est illicitum: ita convitium dicere alicui illicitum est: At uti non peccat Magistratus, qui contra eum qui ante statuerat jus novum, contra aliud statuit, aut privatus qui contra eum, qui tale jam ante impetraverat, nunc iterum illud usurpat (: licet ille non alio remedio, quam novi juris constitutione aut impetratione utatur: ) Ita etiam qui altero convitium dicente, statim per convitium retorquet injuriam non committit. Ratio in utroq; est (1) quia retorquens jure permittente hoc facit, & licet per convitium respondeat, tamen hoc in eô convitium non est: Sicut nec in Magistratu exequente jus novum contra eum qui ante id statuerat, hoc jus novum est sed æqualis juris distributio & quasi talio: (2) quod res alias in infinitum abiret. Si ergo retorsionis non datur retorsio sequitur quod detur tamen atq; licita sit ipsa retorsio. Quibus omnibus insuper accedit vulgatum illud dicterium: Paria delicta mutua compensatione tolli. Iisdem ulterius principiis actio ad palinodiam nititur, & proinde si ἀντιλοιογία illicita foret censenda, & illam quoq; cen illicitam, postea ius nemo admissurus; ita & prius revocari deq; ἀντιλοιογία aliud & æquius longe judicium ferri debet. e sperant enim illius patroni.

L. 2. §. 9. v. de  
aqua & . 19.  
pluvial. a. r. c.

L. 203. w. de  
R. J.

L. 38. §. 9. w.  
ad L. Jul. de  
Adult. L. 5. C.  
de metat. &  
epit.

Comment. ad  
Wes. n. 2. in  
verbis: ut  
enim.

L. 10. π. de  
compens.

L. 39. & 47. π.  
solut. ma-  
trim.

XXVII.

XXVII. Tandem auctoritatibus non tantam Virorum in rebus moralibus versatissimorum, sed et legibus Romanis suam inniti opinionem, impensè sibi & gratulantur & gloriantur. Auctoritates non tangam, forte quod & ipsi iisdem solis non esse pugnandum, mihi alioquin facile concederent, nec desinat, quarum oppositione adversæ parti patrocinantes, si non in fringere, dubias tamen reddere valerem. Mihi insuper illud Justiniani nostri incidit, ex multitudine inq̄uentis, *Autorum, quod melius & æquius est, judica tute: cum possit unius forsitan & deterioris sententia & multos & majores aliquâ in parte superare.* Nec minus huc facit Responsum Arcadii, non enim differentis, ad multitudinem respici oportet: sed ad sinceram testimoniorum fidem, & testimonia, quibus potius lux veritatis adsistit. Leges itaq; trutinare allubescit: Ut ut omnes ex dissentientium numero iisdem non moveantur; potius ἀντιλοιδορίαν non secus ac actionem ad palinodiam jure Justiniano incognitam esse, & illi quidem, quibus curæ alioquin cordiq; nostri actus defensio, ingenue fateantur.

L. 3. w. de  
J. & J.

XXVIII. Præ reliquis verò urgent id Florentini ut vim atq; injuriam perpulsemus. Nam jure hoc evenit ut quod quisq; ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimetur &c. non sine peculiari emphasi injuriam appositam esse asserendo; spectare proinde vim ad corporis, injuriam vera ad honoris existimationisq; defensionem. Quod si enim Florentino de eâ tantum violentia, quæ corpori infertur, repellendâ agere animus fuisset, voce injuriæ non opus habuisset, mentem potius suam vocabulo vis satis declaratam certamq; reddidisset. Sicut autem alias verba injure nostro cum affectu semper accipienda; ita quam longissime abesse putant & vocem injuriæ & factam oppositionem omni penitus efficacia incitato textu carere: potius ut vim vi, Sic & injuriam injuriâ repellere licere ac permissum esse.

Dominic.  
Arum: disput.  
24. th. 11.

XXIX. Majoris deinceps ponderis argumentum ἀντιλοιδορίας si censent, quod sequentibus suggerit Ulpianus: *idem puto, & si ab eo per titus, retor sit in eum crimina.* Ignoscendum enim est ei si voluit se ulcisci provocatus. Nimirum & decisio & ratio decisionis immane quantum pro illius justitia facere videtur. Ex eò enim, quo Patroni filius crimina in libertum, à quo ante peritus, retorquens à successione illi non repellitur, ἀντιλοιδορίαν minime illicitam esse luculentissimè evinci videtur: quam maxime si ratio decisionis subjecta ad partes probè  
voce-

vocetur. Generalis ea est, nec in offensione & violentiâ, quæ armis tantum inferitur, propulsanda, sed & ea, quæ verbis expeditur, obtinet. Et hanc constantem, firmamq; fuisse Ulpiani sententiam ex L. 25. w. de eò iterum apparet, quod alio loco eam reiteraverit, subjiciendo casui *Proc.* prius formato verba dilucide satis concepta: *Ceterum ferendus erit pudorem suum purgans.* Non alia verò retorquentis intentio esse cenietur, quam quod existimationem suam famamq; bonam purgare contendat, & in tempore quidem, ab omni maculâ, quam eidem adspargere allaborat convitia evomens. Cum insuper vi dejecto de- L. 3. §. 9. w. d. de jiciantem in continenti iterum de jicere permissum omninò, vi & vi arme idq; quod vi clamve constructum vi quoq; vicissim & clam demoli- L. 7. §. 3. l. 22. ri licet, utiq; in verbali injuriâ repellendâ id juris non poterit non §. 2. w. quod obrinere, & multo magis quidem, quod in dictis casibus quis seipsum vi aut clam. non tantum defendat, sed rursus insuper lædat, & nihilominus id ju- re permissum perhibeat. Et hæc sunt præcipia, si forte non o- L. 45. §. 4 w. mnia, quæ pro ἀντιλοιδορίας justitia defendenda quam acerrime ur- Ad L. Aquil. gent non nulli inter hodiernos, etiam non minimi subtellicii.

XXX. De ceterò, cum ipsi facile deprehendant, actum illum, quem justum putant, in enormem sæpius de generare injuriam, idè certis eam coarctare, cancellis neesse duxerunt. Requiritur nimirum *Primo*, ut ἀντιλοιδορία in continenti expediatur, ne alioquin non de- fensionis sed vindictæ causa facta videatur. Deinceps rigorosè de- *Benedictus* siderant, ut ea ipsa respondeat injuriæ illatæ, nec eam excedat: id, *Carpz. pract. crim. p. 2. q. 97. n. 25.* quod duplici in idem modò contingere putant. (1) Si aliò crimine ἀντιλοιδορία vel, ut ipsi, vocant retorsio perficiatur, quam quod in- jurians ante objecit. Hoc equidem casu ab utraq; parte formaliter ta- lis obveit injuria, & idè utriq; etiã parti actio injuriarum salva ac integra. (2) Circa retorsionis modum excessum committi adserunt, *Carpz. dict. l. § ab eò cit.* si injuria verbis illata verberibus vindicetur, & ea propter vulgatum illud enixè improbant: auf eine Lügen gehöret eine Waulschelle: Alioquin nihil interesse putant, an illa ipsa verbis, an literis per Nota- rium fortè & testes hac fini specialiter convocatos, confectò desuper *Carpz. dict. l. n. 30.* peculiari ac publico instrumento, expediatur.

XXXI. Nec minus tandem ἀντιλοιδορίας justitiam ex Scripturæ Sa- cræ monumentis probare annuntiant: sed falsò, & tum alios deci- pere contendunt, se ipsos decipiunt. Non vereretur quidem id abunde  
 C firmare,



firmare, eam iisdem sub comminatione gravissimarum poenarum interdictam esse, vel eò motus fundamento, quod ulciscendi ac animadvertendi in quosvis, qui convitiis aut aliò delictorum genere aliis malefacere non ceusent maleficium, potestatem DEUS ceu omniscius & justissimus iudex sibi reservavit, nec ullis aliis illius exercitium, præter suos, quos in terris hisce habet, Vicarios, Magistratus nimirum legitimos, communicare voluit, nisi suspicaret, neminem non id malè mihi interpretaturum, quod falcem in alienam messem miserim, propositiq; violaverim rationem. Satis itaq; duco, ea omnia sicca, uti loqui adsolent, pede præterire, actumq; nostrum moralem poenæ quidem ac supplicio moribus hodiernis minimè obnoxium, in se tamen & sua natura, sequestrata omni civili tolerantia, ex civili & externa dependenti ratione, quæ internæ in non paucis juris nostri articulis, exigente circumstantiarum ratione, præferatur, illicitum plane ac injustum esse.

XXXII. Et inirio quidem, quantum mihi persuasum habeo, mea non adeò adversabitur sententiæ, quisquis effectum factæ ἀναλοιδωγίας absq; præconcepta opinione suo subduxerit iudicio. Consequitur ne injuriâ affectus mediante ἀνιλοιδωγία, ut injuria, qua ipse lacessitus, revocetur ab injuriante, aut ad nihilum redigatur? nequaquam. Quod si enim ex retorquentium mente fama mea & existimatio, illatâ mihi ab alio injuriâ, dubio subjiciatur periculo, utiq; injurias evomens eò ipso suum consequutus scopum, quò proscindere famam alteriq; injuriis eructatis non erubuit. Nec quicquam ἀπιλοιδωγῆντας juvabit verba regessisse injuriosa; eo ipso equidem non efficiunt, ut homines probi dicant, illos injuria nequaquam affectos. Neq; enim admittit verborum semel prolatorum conditio, ut revocari à proferente valeant, quippe quæ in merò consistunt sonò, & ex ore dimissæ exhalant penitus, nec ullum, quam aliqualem animo humano & eorum præcipue, qui de se ipso suiq; existimatione ritè satis judicare nesciunt, relinquunt conceptum.

XXXIII. Frustra igitur ad rerum recuperationem in continenti factam confugit non nemo ex Neotericis JCtis maximæ auctoritatis: recuperantem scilicet in continenti res ablatas non tam recuperasse, quam continuasse possessionem videri, non secus honorem facta injuriæ illatæ in continenti retorsione, ut itidem hoc termino utar, conservari. Sed verò recuperationem judi  
dici

dicis auctoritate subnixam si intelligat, promptissimus eidem subscripserim, quinimo admiserim extrajudicialem etiam, dummodo sine violentia fiat, recuperationem; sequela tamen ab illa ad nostram ἀντιλοισδερίας ducta insigni laborabit vitio. In illa equidem revera quid ablatum: in hac verò nil quicquam nisi conceptum, quo aliquis de altero aliter sentit, quam ipsi sentire convenit, quid auferri posse, tibi persuaderi poteris. Res ablata adhuc existit & in rerum natura est, vicissim juxta Horatium semel emissum volat irrevocabile verbum. Licet enim vel atrocissima injuria aliquis fuerit insultatus, ea tamen in aëre statim evanescit, nec potest unquam ex auribus illam audientium revocari, vel ex aëre colligi & ita re collecta retorqueri, ut memoria illius eâ ratione penitus extinguatur.

XXXIV. Ex hinc antiqui JCti tunc demum injuriam privata auctoritate repelli posse censent, quoties ea est infieri, non autem quando jamjam perfecta existit: cum hæc ipsa repulsio, etsi in continenti sit subsequuta, non defensionis sed vindictæ mereatur titulum. Facti enim causæ juxta Tryphoninum JCrum infectæ nulla constitutione fieri possunt. Equidem ut verbera impendentia, antequam personam afficiunt, rectè repelluntur, cum idem exspectare nemo obligetur, vicissim verò si vulnus semel inflictum, & vulnerans deinceps acquiescat, omnia, quæ impofterum impinguntur vulnera minime defensionem necessariam sed meram supponunt vindictam; ita multò minus injuria, si semel emissa fuerit, averri, aut, ut planè non exaudiatur, repelli potest. Noto hic verba Dn. Zigleri nostri: *Non igitur ex æquitate defendi poterit vindicta privata, quâ sc. iratus proximum invadit jam non amplius cadentem, sed quietum redditum. In his enim terminis subsistendum est, cum de ultione verba faciendâ sunt, ne eam cum defensione confundamus.* Et ea propter Romanis JCtis nunquam vel minus usitata phrasissetorquere injuriam, sed potius propulsare, antequam nimirum illata, & suum adeptâ scopum.

XXXV. Nec iterum firmò subsistit talo ea resolutio, qua dissensionem non nemo ad rerum iterum confugit defensionem, eò nixus ratiocinio; Etsi impossibile sit, factum ablationis rerum reddere infectum, rem tamen ablatam recuperare jura eidem permittant; eadem ratione, ut ut impossibile sit, id perficere, ut injuria jam semel prolata non sit prolata, damnum tamen

L. 12. §. 2. *de captiv. & post. revers.*

*Ad Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 20 §. 8. in verb. vindicta etiam privata*

*Dn. Struve synt. jur. civ. exercit: 48. verbis th. 61.*

verbis honori illatum verbis resarciri potest. Sed verò sapit hæc ratiocinatio petitionem principii: id equidem obfirmato animò nego & pernego, famam & existimationem alicujus ex injuriosis verbis, ab aliò prolatis, ullam pati jacturam. Quod si verò rapaci manu bona alicui subtrahantur, is omnino re ipsa damnatum incurrit, cujus restitutio ut fieri queat recuperandi potestas domino meritò concedenda. Quamvis etiam ex superfluo illud dederim, in animis & conceptibus humanis injuria laceffitum dabo exponi discrimini, non protinus tamen vindictæ privatæ rancore injuriæ iterum evomendæ, sed talia suppetunt remedia, quibus tempestivè satis resarcire potest damnatum, quod tibi illatum falsò imaginaris. Etsi enim acerbissimis insultatus fueris injuriis; implores modò sanctam Magistratus auctoritatem, suo intempore satis tibi subventuri auxilio, omnemq; scrupulum, poena injurianti imposta, tuo exempluri conceptui.

*L. 5. infm. pr.  
de publ.  
judic.*

XXXVI. Et eò refertur poterit illud Ulpiani J. C. r. non relatione criminum, sed innocentia reum se purgare debere. Nec eò itidem dimoveor, quod non nemo hic reponit; ad res etiam vindicandas remedia jure determinata esse, exinde tamen non sequitur, privatam rerum vindicationem illicitam esse, commodiorem potius eam extra judicalem defensionem censerì debere. Jam ante equidem deductam, vacillare sequelam à rerum recuperatione ad nostram ἀντιλοδοπίαν ductam, prævalere potius putaverim Pauli nostri sententiam, quæ singulis minimè concedendum censer, quod per Magistratum publicè potest expediri, ne occasio sit majoris tumultus faciendi. Itaq; & hic à verbis ad verbera facile processus fieri posset, si mutuas ulterius proferri injurias justum foret ac licitum. Nec minus insuper ipse et regerens injurias sanctam Magistratus involat auctoritatem, eiq; non tribuit, ad quod tribuendum ex præscriptò legis divinæ obstrictus. In propriâ potius causa non sine affectu et sinistra opinione sibi ipsi jus dicere nefario ausu annititur. Vm etenim & tunc committi respondet Callistratus, quoties quis id, quod deberi sibi putat, non per judicem reposcit.

*L. 176. de  
R. J.*

*L. 13. de quod  
met. causa*

*L. 14. C. de ju  
dei.*

XXXVII. Idcirco equidem juxta rescriptum Imperatorum Honorii & Theodosii judiciorum vigor Jurisq; publici tutela in medio constituta, ne quisquam sibi ipsi permittere valeat ultionem: nec Prætor ad rixam procedere pati debet, quos suâ jurisdictione componere

ponere potest. Et imò genera' i lege decernant Imperatores neminem sibi esse judicem, vel jus sibi dicere debere. In re enim propria iniquum admodum est, alicui licentiam tribuere sententiæ. Quod si igitur quis bonam alterius existimationem contumelias proscindere non vereatur, ab eò pœnam satis acerbam pro qualitate & quantitate injuriarum habebit expectare, cui ulciscendi potestas in civili societate commissa. Delinquentium equidem punitio per se non est bona, sed eareus saltem, quatenus tendit in boni publici rationem. Cum itaq; hujus cura Republicæ Governatori & ab eò subordinatis incumbat, ideò & ipsis solis jus animadvertendi, uti in omnes delinquentes, ita & in juriis alios insultantes assignanda.

XXXVIII. Pollunt certè ἀντιλοιδόευντες, ceu privatae vindictæ studentes, sacrilega manu menteq; sacrosanctam Magistratus auctoritatem, & gladium quasi, quem DEUS ipsi ad puniendos nocentes dedit, nefariò eripiunt ausu, ut æstuantibus saltem indulgere valeant affectibus. Turbant insuper præcipiti temeritate totum illum ordinem, divina constitutum providentia, quò DEI vices in hisce terris teneri debita auctoritas asserenda, quicumq; injurias proprio Marte repellendi jus sibi arrogare non censent piaculum. Hinc, de judicio autem, inquit Ludovicus Molina: Contemptorum legum DEI, esto illi ingenui ac nobiles in hoc mundo sint, curandum non est. Sicut neq; de illis est curandum, quando svadent, ut aliquis per se ipsum vindictam de injuriis sibi illatis sumat & non per publicas potestates. Cum itaq; proprium & officibus quasi imperantis cohæreat jus decernendi pœnam in male feriatos homines, quò quæso prætextu privato, cui copia superiori actum, quo læsum se opinatur, deferendi, ejusq; sincerum implorandi auxilium, privata vindicta tribui poterit.

XXXIX. Uade Leonardus Lessius, notandum est, inquit, vindicationem, ut sit actus virtutis, convenienti modo fieri debere. Si enim fiat privata auctoritate non est Actus virtutis sed vitii; quin usurpatio alienæ potestatis, nempe superioris, ad quem solum executio hujus actus pertinet: unde illa multis locis in scriptura prohibetur. Et paulo post. Eò autem seposito ait, privatim non potest per se actum vindictæ facere, sed solum curare fieri per publicam personam. Et imò istiusmodi ἀντιλοιδόευντες suspectum in propria causa se constituunt judicem: impossibile autem est, differit

L. 17. §. 3. de  
de usuf. L. u-  
nica C. ne  
quis in sua,  
causa judic-

De J. & J.  
Tom. 4. disp.  
7. n. 1.

De J. & J. lib.  
2. c. 47. dub.  
4. n. 23.  
n. 24.

*Colleg. Decal.* Johannes Conradus Danhauer. in sua causa quempiam esse judicem posse, disp. 12. §. 16. p. 699. cum nemo non sit immodicus aestimator sui. Solus judex, qui partium non est studiosus adaequabit poenam injuria. Atque haec praecipua causa est, ex qua etiam ratio vidit vindictam privatam tanquam injustam legibus cavendam esse. Nam dolor illatae injuriae & rationem obnubilat, & affectum in rabiem inflamat, atque adeo nemo se quam juste deberet, sed quam maxime posset vindicaret.

*L. 1. C. ut rem  
in sua causa  
judic.*

XL. Ea propter Fernandus Vasquius regulam illam, qua nemini in propria judicare causa concessum, juris non tantum civilis sed & naturalis esse censet. Et merito quidem: Sicut enim quivis hominum naturae instinctu ad colendam & excolendam amicitiam eo magis fertur, quo magis ea a lege commendatur praecipiturque naturali; ita vicissim tota naturalis illa inclinatio in id non raro vergeret, quod voluntati divinae & rectae rationis dictamini e diametro adversaretur, nisi juxta limites justitiae ac honestatis ab iis coerceretur, quibus id efficere datum, ut imperio congrua respondeat obediendi promptitudo. Facile quidem concesserim, injuriam affectis non posse dulcius aut acceptabilius, sive apparenter sive revera tale, dolorem facta injuria illatum leniendi contingere remedium, quam si mediante ἀναισθησία adversarius iterum dolore afficiatur. Sed enim bellis appetitum regere nescientibus similes eo casu censendi ejusmodi homines. Rationalis creaturae proprium esse debet, imperare cupiditatibus, cohibere affectus, nec pari omnino, ut, quod rectae rationis interdicit dictamen, quibuscumque committatur illecebris.

*Hugo Grot.  
J. B. & P. lib.  
2. c. 20. n. 8.*

XLI. Nescio igitur, quo spiritu ductus fuerit Hugo Grotius, ut vindicationem privatam nudo naturae jure i. e. abducto a legibus divinis humanisque illicitam non esse, sive fiat ab ipso qui laesus est sive ab alio, quando hominem ab homine adjuvari naturae est consentaneum, asseruerit. Sed enim, neut Grotii auctoritatem maxime perpetuo aestimaverim, & nulli facile in rebus moralibus praeter eum praerogativam concesserim; hic tamen deprehendo ipsum quod antennis hallucinatum. Ut proinde recte longe sentientium judicio asserere non audeam, jus naturale ejusmodi abstractionem pati, ut a legibus divinis abduci penitus & diversum quidem eodem statui possit. Jus eadem naturale divinum quoque & a Deo seu natura naturante, prout Justinianum nostrum plerique interpretantur, seu character voluntatis divinae cordibus



dibus humanis inpressum est. Sicut itaq; DEUS hominibus à se ipso creatis & communi deinceps sanguine propagatis vigore cognationis inter eos constitutæ mutuam demandavit dilectionem; Sic versa vice belluinam assumit libertatem, quisquis iræ affectumq;ve Tyrannidi animi impotentia sese subjiciens in injuriantem, & jam jam ad tranquillitatem compositum, injurias vicissim evictate non ducit dedecori.

XLII. Rectius itaq; Ludovicus DUNTE sentit: omnem vindictam privatam Christianæ doctrinæ contrariam præsupponimus. Est autem privata vindicta, quæ exercetur ab his, qui nullam in alios jus habent neq; ratione officii sui, neq; ratione concessionis à Magistratu legitime factæ. Consentit Andreas Riverus: à privato, inquam, vindicta fieri non potest legitime nec pro alio Rom 12. v. 9. non vos metipsos, ulciscentes dilecti, sed date locum iræ, scriptum est enim, mihi vindictam & ego rependam. Absit interim intentionem expetentis Ulcionem perpetuo improbare, dummodo ea directò & immediate in id non sit directæ, ut lædens malo vicissim afficiatur; alioquin is ipse, si non justitiæ internæ leges violaret, contra proximitatem & charitatem ad minimum peccaret. Quod si verò quis eâ mente vindictam exercere satis duxerit, ut lædentis exemplo alii in posterum ab istiusmodi injuria, quæ læso jam tum illata adparet, deterreantur, actum hanc non injustum præcisè, quippe qui sui ipsius amorem atq; affectum supponit, nec justum vicissim, cum à privata vindictæ suspitione perpetuo non sit immunis, sed indifferentem & adiaphorum dixerim. Itaq; tunc demum vindictam à privato justè expeti putaverim, quando potestati publicæ vicesq; DEI in hoc mortalium cœtu sustinenti executio illius juxta qualitatem ac conditionem delicti committitur.

XLIII. Nec quicquam proderunt Hugoni Grotio verba molliora, quibus vindicationem privatam non esse illicitam, intra æquiterminos si dirigatur asserit; cum res iniqua juxta æquitatis normam dijudicari ac mentari nequeat: Natura utriusq; & qualitate in vicem pugnante. Multò minus loco Ciceronis à Grotio adducto moveri se patietur, quisquis triplicem subtilissimi & maximæ auctoritatis Jcti Dn. Johannis Ortonis Taboris responsionem, quæ illum vel de vindicatione improprie sic dicta, vel de ea, quæ publicâ facta auctoritate, intelligendum, vel Ciceronem cen Rhetorem

*pr. Inst. de J.  
N. G. & C.*

*Decis. cas.  
consc. c. 10.  
sect. 2. q. 17.  
in exod. c. 2.  
vers. 11.  
p. 754.*

*vid. tract.  
meum de jur.  
belle privati.  
lib. 2. c. 9. n. 9.*

*arm. Just. de  
legit. arm. usu  
c. 5. n. 5.*

juris

juris præcepta minus accuratè examinasse esse eadum esse, eruditè animadvertit. Omnium autem minimè exemplis, quibus motum vel sedatum potius deprehendo Grotium, eidem ut suscriberem, dist abhor, cum ea contrariis exemplis facile elidi possit, & publica auctoritas, quæ nixi Samson & Maccabæi, cum privatâ seiplos ulciscendum audaciâ non sit confundenda, Moyses deniq; ac decreta barbarum Gentium, quarum classi Uubricos & Moschos à Grotio adductos infero in jure constituendo nequaquam attendenda.

*De J. B. & P.  
lib. 2. c. 25. n. 5*

*De arbit. jud.  
quest. 1. 2.  
cent. 3. cas.  
262. n. 2.  
Donel. enucl.  
lib. 17. c. 2.  
lit. G.*

XLIV. Ulterius non vereor, Grotium ipsi Grotio opponere, *at talis appetitus, differenti, in se spectatus, non convenit parti rationali, cujus est imperare affectibus: ac proinde nec juri naturæ, quia id est dictatum naturæ rationalis ac socialis quæ talis est, dicitur autem ratio homini, nihil agendum, quò noceatur homini alteri, nisi id bonum aliquod habeat propositum. in sola autem inimici dolore ita nudè spectato nullum est bonum, nisi falsum & imaginarium: ut in divitiis supervacuis multiq; aliis rebus ejusmodi Meritò igitur legem privatam vindictam permittentem, cujus exemplum refert Jacobus Menochius, absque plane censet Oswaldus Hilliger, cum leges civiles non possint ea, quæ juri naturæ directò contraria, ut impossibilem tolerantur, peculiari sanctione efficere.*

XLV. De cæterò obvertat quis, non datum cuivis nec semper judiciali auctoritate injuriam illatam vindicare? Quid enim si adversarius sit potentior aut illius conditionis, ut dubiam litis aleam cum eò experiri quis vereatur, aut subsistat secum? Quid si injuria laceratus impar sit iudiciorum ferendis expensis, aut adeò decrepitæ ætatis, ut exitum institutæ injuriarum actionis sibi vix polliceri possit. Iis sanè & non dissimilis farina casibus periniquum videtur eidem illud denegare remedium, cujus ad jutorio satis satisfactionem tempestivè impetrare valeret. Verum, utur fateri necesse habeam, duram omninò primâ fronte apparere hanc ipsam de negationem; nec iis tamen casibus ἀντιλογίας actu locum relinquerem. Fictio equidem vana, imaginaria & nudo Doctorum illorumq; qui vulgò blandiri satagunt, cerebro progata, infamia illum conspurcari aut famam ipsius minimum pereclitari per falsò objectam crimen, si illud non regeatur confestim, inq; convitiatorem retro transferatur. Hinc Hugo Grotius accuratè disserit: *Quia scilicet nihil inde ad nos*

*De J. B. & P.  
lib. 1. c. 2. n. 8.*

*mali pervenit, nisi quod instultè per suasionem positum est.*

XLVI.

XLVI. Quod si enim insons sum ac immunis ab illis injuriis, quas adversarius mihi objicere non erubuit, frustra certè illis me exonerare laboro, quibus nunquam fui oneratus. Quam maximè huc faciunt verba Gordiani Imperatoris: *Si non es nuntiator, vereri non debes nè ea propter quod injuriæ faciendæ gratia quidam te veluti delatorem esse dixerunt, opinio tua maculata sit &c*: Sin verò conscius sim delicti objecti, per solam ἀντιλοιδορίαν eidem me ipsum nequaquam subtrahere poterò. Vicissim, si convitium proferens delicto, quò me obstructum falso putat, revera non sit maculatus, mea quoq; ἀντιλοιδορία maculari aut injuriæ illatæ reus fieri nequaquam poterit. Neq; enim ipsa injuriarum actio ea fini inducitur, ut delictum mihi objectum in ipsum transferat convitiatorem, sed puniat ipsum declaretve, convitium mihi insonati injuria illatum esse: mulò minus prædicta efficacia nostro actui transcribi poterit. Nemo certè infamiæ notam incurrit ex solâ criminis objectione, cum mea fama scelerati hominis arbitrio nequaquam subiecta, sed demum vel decretò juris, vel sententia judicis, vel factò revera turpi. Et imò, si ex rescriptò Imperatorum Valentiniani & Valentis ne quidem famosus libellus bonam alterius lædat famam, quantum minus convitio ore tantum prolato tantus vigor tantaq; efficacia assignari poterit.

*l. 1. 3. C. de injur:*

*L. unic: C. de famos: libell.*

XLVII. Quod si igitur bonæ illius existimationi re ipsa nullum imminet periculum, cui injuria illata, nulla ipsi opus est purgatione, privata præprimis nitenti auctoritate. Certè ut viri honesti & celebratissimi alias existimationi per encomiū alteri⁹ & laudes nihil accedit; ita nec famæ alicuj⁹ vel honori verbis improbi hominis injuriosis quicquam decedit. Unde cautus & prospectus Actor in libello actionis injuriarum non hisce utitur formalibus *Er hat mich an meinen Ehren geschmehet / sed potius, ut injuriantis impotentia monstretur, Er hat sich unterstanden an meinen Ehren zu schmehen*. Ne dicā pessimos & omni criminum generi deditos contra optimæ frugis homines hoc ἀντιλοιδορίας medio se tueri, & si eum, quem ea ratione intendunt, consequi possiat scopum, ut nimirum à crimine, cujus foeditate obstructi hærent, se purgare valerent, nemini quæ vitæ famæque integritatem defacili cederent.

*Carpz. Pract. crim. part. 2. quest. 94. n. 16. infra.*

XLVIII. Nec quicquam iterum moveor rescripto Imperatorum

D

Dio.



L. 5. C. de in-  
jur.

Ant. Perez.  
praef. ad  
Cod. de injur.  
n. 5. Carpz.  
lib. 2. B. 61.

Diocletiani & Maximiniani, quâ viro minus bono delictoq; aliquo  
contrahato contra bonum virum eidem id delictum injuriandi ani-  
mo objicientem actionem injuriarum competere rescribunt: veritate  
convitii ne quicquam obstat. Dilucidam quippe diversificatis ra-  
tionem hic deprehendere licet. Etenim fragilitas *ἀντιλοιδόριας*, pri-  
vatâ auctoritate ex vindictæ rancore factæ cum actione injuriarum  
judicali auctoritate intentata minime omnium confundenda, Largi-  
untur Imperatores eidem, cui verum etiam crimen objectum, actio-  
nem injuriarum eam ob rationem, quod inhumanum videatur, alienos  
defectus sine ullô publici boni interesse detegere & manifestare, secus  
autem, si intersit Publicæ rei. Quod si itaq; & is, qui insons injuriâ  
affectus, judiciali brachio interveniente, se ipsum vindicaverit, id  
multò magis agit, quod leges eidem manifestò concedunt, secus ac  
si privatæ ultionis amore *ἀντιλοιδόριας* exercere sategerit.

XLIX. Vicissim fama viri probi ac existimatio intemerata salvaq;  
persistit, si boni sive mali fuerint, in quorum præsentia maledicî  
eam suggillare attentarunt. Boni equidem de aliis non nisi benè sen-  
siunt, nec sinistra suspitione se occupari facile patiuntur. Et licet in-  
juria affecti vita moresq; eisdem non sint cogniti, ac proinde hæsitare  
possint, an injuria objecta veritate nitatur nec ne; in dubio tamen  
mitior sententia arripienda nec *ἀντιλοιδόρια* scrupulum eisdem ex-  
emptura, cum in apricò positum, pessimos homines adversus verissima  
etiam delicta, si fuerint objecta, illius remedii auxilio servari. Et  
imò eò ipso, dum injuria læssus, regeundo eandem urget  
immane quantum, injuriam sibi illatam, facile audientibus il-  
lam excitare potest suspitionem, convitium non frustra esse ob-  
jectam, alioquin recti conscius id ipsam flocci pendisset, vel publicâ  
existimationem suam defendisset auctoritate. Quod si vero vicissim  
audientes injurias maleferiati pessimæq; mentis fuerint, frustranea  
in idem erit *ἀντιλοιδόρια* etsi millies repetita: ipsi potius delectarentur  
immane quantum, non rarò etiam approbarent juxta ac adjuva-  
rent injurias evomentes.

L. Ex quibus omnibus vel ad oculum patere opinor, *ἀντιλοιδόριας*  
esse & manere meram ac prohibitam vindictam, quocunq; modo  
eam torqueant & retorqueant illius Patroni. Interea iterum non  
deest, qui concedit quidem, uti etiam concedere necesse habet, vin-  
dictam

dictam privatam illicitam esse, nostram tamen ἀντιλοιδορίαν, seu, ut ipse loquitur, retorsionem non nuda ultionis sed defensionis gratia, & ab injuria nos liberandi animo suscipi, & proinde nequaquam prohibitam esse, sibi habet persuasum; adeo, ut licet forte is, in quem retorsio facta, aliquo modo lædatur, ideò tamen eadem illicita non pro-  
tino dicenda: cum injuriarum etiam aetione convento iterum læda-  
tur; nec omnis insuper læsio injuriorum Actuum classi confestim as-  
signari debeat. Sed verò defensio privata auctoritate suscepta, & quã  
alium iterum jure lædere valeo, talem supponit offensionem, quæ,  
ut publicã Magistratus potestate vindicari possit, periculum, cui of-  
fensus subiectus, minimè admittit. Quis autem de nostra ἀντιλοιδο-  
ρία id unquam asserturus: satis equidem tempestivè, implorato judi-  
cis officio vel intreatenrà coram eò injuriarum aetione, suæ consulere  
potest existimationi, ut ea propter privata auctoritate sibi ipsi jus di-  
cere nequaquam habeat necesse.

LI. Neq; insuper læsio, ex privato facta rancore, cum eã læsione,  
quæ pravã causã cognitione & secuto judiciali decreto inferitur, re-  
merariò ausu confundenda. Ut ut itaq; concedere necesse habeam,  
non omnem læsionem injustam dicendam, & injuriarũ quoq; convi-  
ctum pro ratione circumstantiarum coerceri interdum pœna injuriæ  
arrogantati satis conformi, id omne tamen sancta illius, cui jus vindictæ  
divinitus concessum, nititur auctoritate; cum retorquentes vicis-  
sim illam cæca temeritate violare non vereantur. Præprimis verò  
nostræ suffragabitur sententiæ, quisquis periculum atq; damna, quæ  
ἀντιλοιδορία ut infelices producit partus, animo æque subduxerit.  
Factã enim eãdem injurias proferens ad ulteriorem iram quasi pro-  
vocatur: unde quam sæpissimè rixis, duellis & non raro homicidiis  
via panditur. Cum enim injurias evomens eò ipso modestiæ ac vere-  
cundiæ limites semel excefferit, nolim dubitare, ipsum facta ἀντιλοι-  
δορία impudentiorem futurum, & ut conticescat tandem injuria læ-  
cessurus, impensè laboraturum.

LII. De cæterò regeant hic, ab usum ἀντιλοιδορίας cum usu con-  
fundendum non esse. Uti enim ille hunc ipsum tollere nequit, ita  
nequaquam iade ad damnandum legitimum jus retorsionis, uti  
loqui amant ipsius Patroni, inferri potest. Alioquin & necessaria de-  
fensio, quã in extremo periculo vitæ constitutus contra nefariũ in va-

forem utitur, iustitiæ pomœriis exterminari deberet, quum plurimi legitimum illius modum excedant, & injusta cœdes prætextu necessariae defensionis quam sæpius defendatur. Enim verò, licet utraq; dederim manu, ex abusu rei rem ipsam ejusq; usum non contrahere vitium, in præsens tamen ipsissima *αὐτολοιδόγία* ejusq; usum, quibuscunq; is circum cludatur cancellis, illicitum esse vel ad oculum huc usq; demonstravi, ut proinde abusus illius sub distinctionis colore frustra ad partes vocetur. Et imò, cum experientia suffragante *αὐτολοιδόγία* mala prædicta ut plurimum comitentur; idè è re magis publica non poterit non censerì, extirpari penitus rem suâ naturâ perniciosam, quam servari eandem & tolerari ob usum rarissimum & nunquam necessarium; res quippe quæ mali saltem exempli esse potest, ad evitanda scandala civili societate exterminanda. Neq; itidem exempli loco vitæ in præsentissimo constitutæ discrimine defensio aptè satis mihi adducta videtur: cum illius conditio ita sit comparata, ut si legitima ac iusta dici debeat, omnem alium, quò insultatus imminenti periculo se substrahere valeat, respuat modum atq; viam; quæ ipsa tamen nunquam deest injuriis etiam atrocissimis laceffito.

decision. cas.  
conso. c. 10.  
sect. 2. q. 29.

comment. in  
Gen. ad c. 49.  
p. 675.  
de J. & J.  
tract. 4.  
diss. 49.  
defens. tri-  
part. part.  
1. n. 5.

LIII. Allubescit hic notare verba Ludovici Duntens, ad hanc defensionem (: quæ scilicet contra aggressorem vitæ competit.) *malè à quibusdam refertur defensio & recuperatio honoris, sive oppugnetur verbis sive factis, ut alapa, sive criminatione aliqua gravi, sive provocatione ad pugandum. Nam (1) honor iste est res vanæ, ex vanorum hominum opinione pendens, cum vitæ hominis nullo modo comparanda. (2) Verus honor augetur potius, quam minuitur istius modi injuriarum contemptu. (3) alius modus potest quilibet honorem suum tueri.* Nèc abludit Andreas Rivetus ita disserens: *interim ex his etiam colligendum est, omnem privatam & immoderatam vindictam, etiam quæ suscepta videtur ex justitiæ zelo & studio recuperandæ honoris vel repellendæ injuriæ, DEO displicere.* Tandem sententiam Ludovici Molina, quâ quæstionem à nostra non adèò difforem sequentibus decidit notò: *Quonia cum infamia alterius non sit bonū illius quod in recompensationē boni injustè ablati nobis sumemus, sed sit solum læsio boni, alterius, sane in eò nihil aliud cernitur quam vindicta, quæ est omnino illicita propria auctoritate.* Silentio ulterius præterire non possum iudicium Francisci Zoanetti. *verba, inqvientis, contumeliosa si objiceremus in adversarium convi-*

convitiatorum post irrogatam jam nobis verbalem injuriam, dicere-  
mur causa ultionis non defensionis (:quum nec illatam injuriam eo  
pacto amelivemur:) talia obloqui &c. igitur injuriarum hujusmodi latio, quæ  
vindicta verius, quam defensio est nuncupanda, minimè gentium debet esse  
permissa.

LIV. Et hæc sunt, quæ ut posteriori sententiæ calculum adderem,  
eamq; contra ἀντιλοιδόριαν patronis defensuram, præcipua argu-  
menta. Restat ex instituti & methodi ceptæ ratione, ut fundamen-  
tis, quibus diversum sentientes nituntur, convellendis mentem  
manumq; admoveam. Nemini quidem non operam lude-  
re primò viderer, intuitu, si illis, in quibus formalitatem actus præ-  
dicti firam censuerunt hucusq;, refellendis inhærerem pluribus, cum  
is ipse actuum in sensu proprio justorum classe, vigore deductorum,  
exterminandus veniat; nisi à non nullis, Pragmaticis præcipue, isti-  
us modi formulæ retorqvendi justæ judicentur, quæ tamen re ipsa nil  
nisi livorem & illicitam vindicandi se ipsum pruriginem restantur.  
Equidem si res ipsa justitiæ violat rationem, frustraneus utiq; omnis  
labor, modo ipsius & formæ defendendæ impensus. Utur etiam ab  
illis non penitus discessum fecerim, qui moderatioribus verbis dolo-  
rem, quò se affectos falso sibi habent persuasum, contestari assolent;  
eos tamè proinde ἀντιλοιδόρια utentiū numero non ausim assignare.

LV. Et quamvis iidem modum in regerendo injurias nequaquam  
excedant, formalia potius & ipsissima verba, quibus impetiti, repe-  
tant, itidem tamen privatae ultionis & injuriæ retro factæ rancore &  
ex eò descendente injustitia se non eximent, cum convitium sit repe-  
titum, illud autem maneat sua natura malum, siue intortum siue  
retortum. Frustra equidem intendit injuria oneratus ea illo se  
exonerare modo, qui in ipsius viribus situs haud quaquam. Neq;  
enim vi superius dictorum ipsi integrum, retaliare crimen privato  
molimine, quò ab aliò ausu insultatus nefariò. Publica præstò est  
potestas, cui unicè datum, coercere præcipites animi motus, quibus  
in contemptum innocentis se in transversum rapi patiuntur non-  
nulli. Publico si destituerentur auxiliò, iisdem facile vel ex solo  
minimum charitatis ritè ordinatæ ordine dederim facultatem refe-  
rendi id, quod ipsi insoni injustè illatum. Sed enim quamdiu illi-  
us copia haberi potest, regerens convitium audacter illius usurpat po-  
testatem.

LVI. De cœterò magis multò & acerbius privatam exercet vindi-  
ctam quisquis injurianti responderit, *tu mentiris*, adjiciendo sæpe nu-  
mero, ut fur vel ut nebulo. Utur enim mendacium à morationibus  
gentibus pro turpissimo judicatum crimine, adeò, ut testantibus hi-  
storiarum conditoribus, in viro non turpius reperiri possit, quam  
mentiri & ari alieno ob noxium esse; viri interim maxima autori-  
tatis reperti, qui injurià qualicunq; provocati, prædictâ formulâ rectè  
ac justè aliquem uti asserunt. Verum, si per retorsionem honor &  
fama conservari ac injuria vicissim in adversarium regeri possit,  
leve nimis acutissimi Bachovii judicio videretur, mendacii tantum  
alterum arguere, & ineptum insuper esset, necessitatem imponere  
eadem recriminandi, quæ forte in alterum non possint convenire. Ut  
equividem fur & latro esse potest, qui non simul calumniandi studio  
vacat, ita versa vice calumniator dari potest, qui insons furci aut alie-  
rius alicujus delicti. Non itaq; ulla cogit necessitas, ut eos compa-  
remus, qui pares non sunt, cum de natura furis & latronis, quatenus  
ralis, non sit, ut mentiatur.

LVII. Etimò relò ex ipsis ἀντιλοιδόρια defendentium castris pe-  
tito evaryari poterit hæc ipsa injurias regerendi ratio: illa etenim  
verba aut addunt aliquid novi, quod in verbis *tu mentiris* nondum  
continetur, aut nihil addunt. Hoc si dixerint diversum sentientes,  
frustra eadem verba adjiciuntur: illud verò si statuant, sibi ipsis con-  
tradiciunt, dum præcisè desiderant ad formalitatem ἀντιλοιδόριας,  
ut hæc respondeat injuriæ illatæ, nec eam excedat. Neq; est quod  
reponunt communiter, illa verba, ut fur vel latro, non inducere no-  
vam injuriam, sed esse accessoria tantum & per consequens imitari  
naturam sui principalis. Licet enim concesserim, directò convitiato-  
rem non in culpam furci vel latrocinii; qualificatio tamen verbis *tu  
mentiris* adjecta id minimū efficit, ut convitiator particeps censetur  
quarundam qualitarum, quæ in fure & latrone conspicuæ appa-  
rent. Cum autem inter furem vel latronem & inter convitiatorem quæ  
qualitates cuiq; separatim considerato inherentes nulla adsit com-  
paratio, illicò patescit, per hanc qualificationem novas in convitia-  
torem ferri injurias, ut nimirum reus fieret vel inculparetur tantum  
furci ac latrocinii, cujus tamen insons plane.

LVIII.

Ad Treut.  
Vol. 2. disp.  
30. in fin.

vid Henn.  
Rennemann  
de jure re-  
tort. part. 3.  
§ b. 42. l. 6.



LVIII. Unde & ipsemet Dominus Struvius, acris aliqvin Retor-  
sionis iustitia defensor à prafaris Doctoribus qua illam retorqvendi  
formulam, *tu mentiris ut fur vellatro*, divortiu fecit. Cum eqvidem ex  
mente illius is, qui mentitur, eò ipso non protinus committat fur-  
rum aut latrocinium, ideò mendacii qualitas per graviora &  
diversissima delicta non recte describitur; oppidò potius ita retor-  
qventes mendacii non modo alterum inculant, sed furti vel latroci-  
nii commissi insuper accusant. Vicissim verò illum retorqvendi mo-  
dum iustum ac licitum perhibet Dominus Struvius, si injurianti quis  
dixerit: *du leugst es wie ein Schelm*; cum quod vocabulum *Schelm*  
generale sit, tum quia hoc modo convitium regerens d'intendit, ejus-  
modi nimirum mendacium proferre non convenire viro bono, sed  
nebuloni & homini nequam. Nec minus & eam retorqvendi for-  
mulam licitam putat, si quis convitiatorem appellet *einen Ehre-  
Dieb oder Ehren Schänder*. Sed verò quod pace tanti JCi inque  
doctrinâ morali versatissimi dictum esto, utroq; modo *αὐτιλοιδορία*  
utentes reos se constituunt privata vindicta. Etenim, ut in genere in-  
terdictum, nè quis alium convitio proscindat, eòq; nomine lædat; ita  
nec de illâ læsione, quæ per factam inferat recriminationem, aliud  
judicium ferri poterit. Neq; enim alia voce *Schelm* retorqvendis in-  
tenio, quam quod amore privata ultionis injuriant eâ velit nota-  
tum infamia, cujus metu ipse antea, frustra nec licet ausu, insultatus.

LIX. De cœterò Andreas Fachianus omnem mover lapidem, ut  
dictum retorqvendi modum, quò convitiatori quis respondet, *tu  
mentiris*, ab omni eximere valeret injustitiâ. Leges, quibus ipse mo-  
vetur, deinceps perculiariter pensitabo; rationum momenta hic  
judicii examini protinus subicere animus est. Desistui nimirum re-  
torqventem animo injuriandi, intentionem potius illius esse sepr-  
gare eò, quod falsò objectū, crimine. Cum itaq; cateat *αὐτιλοιδορία* u-  
tentes animò injuriandi, injuria autè sine hòc consistere aut in suâ for-  
malitate constitui nequeant, dici ideò haut quæquam poterit, eos vel  
injuriari, vel a ditione injuriarū efficaciter pulsari posse. Verù hic fucq,  
hic color, si sufficiens censeri debeat, ut quis eò ipso suam convitiandi  
pruriginem excusare valeat, nemo certè injuriarū incensari possit, cū  
nemini desit frivola excusatio, quâ, animum injuriand de fuisse, se-  
tueri auderet. Et ea propter probandum injurianti ex civili lege,  
verba

*De vindicta  
privata c. 10.  
aphor. 10.*

*lib. 9. con-  
trov. c. 12.*

*L. 5. C. de injur.* verba injuriosa convitii animo non fuisse dicta, si fides veri à calumnia eum defendere debeat.

*Carpz. pract. crim. part. 2. quest. 97. n. 6. & seq. Part. 5. const. 60. n. 3. Berlich. dict. loc. n. 21. Sigis. Finkelb. obs. pract. 37. n. 50.* LX. Cum autem qualitas hæc in animo consistat, nec in sensu exteriores incurrat, ideo juramentum purgatorium, quo illam qualitatem, se nimirum verba prolata animo injuriandi non protulisse, confirmare tenetur, verba injuriosa proferenti non raro imponi solet. In dubio equidem omnis injuria dolo & animo, utar verbis Matthæi Berlichii, injuriandi facta præsumitur, nec quis excusatur, si dicat, quod non habuerit animum injuriandi, nisi manifestò probet. Quam maximè autem contra proferentem verba per se & suâ natura injuriosa præsumtio militat, quod animum injuriandi habuerit. Quis autem in dubium vocatur, verba tu mentiris per se injuriosa esse, cum mendacii crimen, cujus per prædicta verba quis insimulatur, atrocis, quin imò atrocissimum ex morationibus Gentibus pleræq; judicantur. Verba autem quæ per se injuriosa ratione iisdem etiam affecti manebunt injuriosa, cum illum ad recriminandum nulla cogat necessitas, sed per legitimos tramites calumniantis iniquitatem expellere potuisset. Et imò, si injuriâ lacessit purgationem tantum ab injuriâ objecta serio intendat, minora præsto essent verba, quibus scopum adipisci eundem potuisset.

*L. 18. pr. ff. de injur.* LXI. Nec quicquam diversum sententiarum sententiæ patrocinator Paulus JCrus: ita equidem mentem subtilissimi hujus JCrus saniores hucusq; interpretati, ut eidem tunc demum locum relinquunt, si inter sit aut expediat Reipublicæ, peccata nocentium nota nec ex vindicta privata, aut in alterius contumeliam, sed ob publicam utilitatem, judici legitimo modo delata esse. Alioquin si ex privata excandescentiæ impetu crimen aliquod quis patefaciat, ut ut etiam veritate id ipsum nitatur, ea ipsa tamen illum non planè excusabit, cum vera etiam crimina deferri non debeant animo injuriandi ac se ipsum vindicandi. Sed verò dictorum delictorum classi convitium alicui insoni falso objectum haud quaquam inferendum, ne aliàs omnia omninò maleficia dictæ legis dispositioni subiacere, asseverare necesse habeas; cum nullum reperiri possit, cujus poenam ac supplicium publicum bonum non videatur exoptulare. Illa equidem delicta, de quibus publica judicia constituta, ut manifestentur & debito subducantur supplicio, publica salus exigit; quod si verò quis alterum

*Carpz. lib. 2. tit. 61. Dn. Brunnem. ad dict. l. 18. ff. de injur.*

iterum fraudis, doli, levitatis aut alterius istius farinae delicti vitii ve arguat, publica res directò eapropter nullam parietur jacturam. Et ideò privatam sibi ipsi jus dicendi potestatem usurpare non protinus necesse habebit læsus iisdem, potius tempestivè satis imploratò Magistratus brachio suam tueri famam & adversus quosvis malevolos obtretractores defendere poterit.

LXII. Nec quicquam adjuvabit Fachinæum favor publicus, cuius interest notam esse calumniam ejus, qui verba injuriosa dixit. Equidem longè felicior intentione deregitur calumnia, si Magistratui eadem fuerit delata, ejusdemq; cognitioni & coercitioni subjecta, quam si impotentiam animi quis celare nequeat, luxuriantibus indulgete affectibus satis ducendo. Et ideò ne quicquam iterum movet sententia Pauli, *peccata nocentium nota esse & oportere & expedire*; cum supponat Jus modum nota faciendi delicta legitimum, accusationem nimirum ordinariam vel implorationem nobilissimi Judicis officii. Deinceps intentionem, quâ quis à delictò objectò se purgare contendit, & quam maximè itidem urge Fachinæus, non improbo, modum tamen purgandi verbis *tu mentiris* licitum haudquam dixerim. Ut enim verbis illis tacita quædam contradictio, quâ sibi injuriam fieri vel se non esse talem indicare intendit, inesse videatur; revera tamen illa non aliam quam recriminationis & privatæ vindictæ rationem præ se ferunt, cum adversarius turpissimò mendacii vitio ex merò vindictæ calore proscindatur iterum ac diffametur. Nec ulterius quicquam mendacii alium incusanti proderunt verba subjecta *salvo honore vel salva reverentia*; cum omnis injuria animo injuriandi facta præsumatur, & protestatio hæc contraria sit factò, & proinde nil operetur.

LXIII. De cæterò, licet nunquam sim diffessus, perpetuo potius utraq; manu dederim, inter humanas felicitates bonæ famæ & existimationi non postremum assignari debere locum, quò tamen sensu intellectuave mens Pauli & Marciani acceptanda compendii causa lectorem placidum remittere placer ad tract. meum de J. B. P. quo æquiperationem vitæ & famæ non generaliter in omnibus & quoad omnia intelligendam, sed particularem & suis includendam limitibus esse pluribus me diduxisse memini. Ulterius defensio jure naturali alioquin licita *ἀνυλοιδόγίας* Patronis nè quicquam patrocina-

E

nabitur: n. 8.

*in l. 18. pr. w.  
de injur.*

*l. 21. w. de A.  
vel A. H. c. 20.  
X. de offic.  
jud. deleg. c.  
54. X. de Ap-  
pellat. Va-  
lent. Ricmer.  
quest. jur. il-  
lust. decad.  
12. q. 9.  
l. 8. §. 2. w.  
quod nat.  
causal. 9. w.  
de manumif.  
vind. l. 2. c. 8.  
n. 8.*

habetur: cum enim illa defensio quam ἀντιλοιδορία expediri ajuat, non subsistat in debitis defensionis licitæ terminis, sed degeneret, vi superius dictorum, in merum & severè prohibitum vindictæ rancorem; idè nec favor & licentia defensionis retorsioni citra injuriam applicari poterit.

LXIV. Nec minus petitionem principii committunt, à defensione rerum facile alioquin recuperabilium ad defensionem famæ necessitates sequelam. Utraq; defensio si judiciali facta fuerit auctoritate, licita satis ac justa erit, quinimò & extrajudicialem quoq; rerum amissarum recuperationem, dummodo sine violentiâ fiat, superius admisi. At verò in nostrò negotiò morali nil est quod recuperari debeat, cum nihil ablatum, nisi, vanò conceptu quid auferri posse, statueret non verearis. Et si quod tibi illatum, quò læsus videaris, sera nimis esset propulsatio illius, cum vis imminens tantum, & antequam objectum afficiat, repellenda, jam tum autem illata injuriæ, cū facta eadem & perfecta, propulsatio frustra retorsione attentatur. Vultus quò minus infligatur præcavere quivis potest, privato etiam molimine, sed postquam jam illatum, nisi forte aliud adhuc metuatur, propulsationi non erit locus, sed potius convenit, Magistratus auxilium implorare,

LXV. Non secus certè cum verbaliter comparata injuria: Ut etenim quivis omnem evitet occasionem, quâ ipsius æstimatio periculo exponatur, sui ipsius charitas & status atq; conditionis, qua in civili indutus societate, conservatio exposcere videtur; Sic vicissim, si conviciator suum adeptus scopum, polluendo, quantum in ipsò verbis contumeliosis alterius opinionem, quam omnes bonæ mentis de eò concepere, satis honestam, injuriâ affectus oleum perdet & operã in repellendis iisdem, quæ repelli amplius non possunt, sed ex intentione inferentis non minus quam falsò audientium conceptu radices satis firmas egerunt. Idcirco læsæ parti non alia supererit ratio, quam ut illi, cui membrorum civilium eorumq; status ac conditionis conservatio cordi curaq; exspecta erit decisionem, & sibi & aliis inepta præoccupatis opinione abunde prospecturam.

LXVI. Nec minus ἀντιλοιδορίας Patronis concedere necesse habeo, facilius longè ac citius illius remedio vindicari injuriam illatam, quam si coram Magistratu legitima causæ cognitio institui ejusq; deci-

decisiva sententia expectari debeat; dummodo ipsum remedium licitum foret, nec iustitiæ offenderet leges. Nec insuper invidiam injuriâ affecto ἀντιλοιδόριαν, dummodo ea ipsa id consequi valeret, quod suæ responderet intentioni: de quô tamen & ego & alii mecum valdè dubitant. Ut enim purgatio, quæ mediante ἀντιλοιδόρικα obtingere nonnullis videtur, ad quam plurimum perveniret notitiam, ea tamen ipsa vix efficietur, ut omnes credant, maculam, si qua adspersa, eodem modo penitus expurgatam. Eadem potius levitate, quàm concepta & prolata privato ausu recriminatio, simul quoque conciderat evanescet in animis non improborum, nec ullam post se relinquet efficaciam, quam quod injuria injustè illata & privata vindicta rancore retorta fuerit. Et quamvis etiam is, cui injuria illata, illius conditionis sit, ut non omnes adeò benè de ipso sentiant, ipse tamen Stoica animi firmitate eam aspernabitur, aut ut jocum ludumque flocci pendet juxta ac irridebit.

LXVII. Nego insuper & pernego obfirmatò animò, injuriâ lacessitum factâ retorsione id expedire, ad quod ex publici boni ratione obstrictus: inverterem potius argumentum, violare eundem vinculum, quô publicæ salutis ligatus, eò ipsò, quò id quod capiti publicæ rei & ab eò subordinatis tantum reservatum sibi nefariò ausu arrogare non veretur. Rectè quidem Hugo Grotius *Prima natura vocat, quod simul atque natum est animal, ipsum sibi conciliatur & commendatur ad se conservandum, atque ad suum statum & ad ea quæ conservantia sunt ejus status diligenda*, dummodo modus mediisque conservandi non reluctentur juri divinitus humano generi implantato; id quod de nostra retorsione pluribus jam antea evictum. Conservat injuria lacessitus statum & existimationem suam integram satis ac illibatam, si illius imploraverit opem, cujus auctoritas ipsi ceu membro sancta semper & veneranda esse debet. Quocirca talionis justitia nequaquam exigit, nec ulla insuper cogit necessitas, ut retorqueantur in eum injuriæ, qui visdem alterius famam lauciare contendit: cum perpetuo recurrendum ad fontem justitiæ, & cui jus ulciscendi animadvertendi que innoxios cœlitus commissum.

LXVIII. Et licet non diffitear, injuriantem deponere officii partes, quibus concivi suo omnia potius optima apprecari & pro virili succurrere, quam contumeliis calumniisque insultare debuisset, ea pro-

de J. B. & P.  
lib. 1. c. 2. n. 1.



prer tamen impetitus injuriis ceu armis suâ natura illicitis ad sui de-  
 fensionem uti non protinus necesse habebit; aliud vigore supra de-  
 ductorum ipsi ad manus est remedium divina æque ac humanâ suf-  
 fultum auctoritate. Urur etiam injuriis alium adoriens transgre-  
 diatur omninò principium illud juris naturæ, *suum cuiq; tribuendum*,  
 eò ipsò, dum eò bonò, quò post vitam non datur excellentius, privare  
 proximum suum, quantum in se est, non veretur, flocci simul pen-  
 dendo charitatem & cognationem à natura inter homines constitu-  
 tam, cujus vigore melius longè de eò sentire debuisse; itidem tamen  
 ex eò minus aptè sequelam duci putaverim, privato & in propriâ qui-  
 dem causa vulgari affectuum astuantium comitatrice, vindictam  
 illius transgressionis permittendam esse.

LXIX. Præterquam enim, quod jura à divino Legislatore omni-  
 um cordibus implantato protervè relictatur, non effugiet insuper  
 Magistratus animadversionem, dummodò laceffitus injuriâ priva-  
 tum ultionis rancorem sanctæ illius auctoritati præferre non duxerit  
 satius. Quamvis insuper favorem defensionis non restringendum,  
 sed ampliandum omninò ac extendendum utiq; dixerim; diversa ta-  
 mea objecti defendendi qualitas diversam operatur, decisionem.  
 Imminens vitæ periculum ut cum adversarii quoq; interneccione  
 evitemus, inevitabilis necessitas extorquet, cum illam semel emis-  
 sam recuperandi nulla super sit spes: Retorsio vice versâ hâc neces-  
 sitate nequaquam defensari poterit, quod nemo, ut retorqveat in-  
 juriam, cogi possit, securus satis remediis civilibus æquè ac crimina-  
 libus, quibus famæ suæ consulere, injuriantis libidinem coercere  
 eumq; ad obstergendam, quantum ex parte ipsius est, adpersam  
 contumeliam compellere potest.

ad Grot. lib.  
 i. c. 2. n. 5. in  
 verb. quæ vi-  
 ta equipa-  
 rantur.  
 Exerc. 12.  
 q. 7. n. 8.

LXX. Noto hic verba Dn. Zigleri nostri: *ista, inqvientis, equipa-  
 ratio fama & vita non semper procedit, imprimis quando subest diversa  
 ratio. Vita enim periculum longè majus est periculò honoris. Honorem  
 laesum vindicare possumus legitimis remediis, non etiam vitam recupera-  
 re. Equiparatio igitur procedit, si moraliter consideres rem, non si phy-  
 sicè. Nec potuit hanc difformitatem dissimulare Georgius Franzkius  
 Fautor alioquin retorsionis verbalis: in hoc, quidem, disterens, disti-  
 milis est injuria verbalis & realis propulsatio quod per illam non tam re-  
 vera quam opinione hominum vulnus existimationi & honori infligatur;  
 per hanc revera corpus ledatur; & quæ semel admisa æternum fixa hæ-  
 reat.*

reat, obduetoq; vulnere cicatricem memoriam relinquat. Ulterius haud quaquam negaverim, injuriantem propriae fortunae fabricatorem esse, & si injuria in sinum ipsius remissa fuerint, sibi suaq; petulantiae imputare debere; sed enim hic quaestio non de injuriante, quippe quem publicae etiam animadversioni subjacere asserimus, sed insultato injuris, quò scilicet jure is eas privata auctoritate monitus retorquere, seq; ipsum vindicare simul ac judicem constituere valeat.

LXXI. Excedere injuriantem limites & justitiae & charitatis utraq; largior manu, castigationem autem & punitionem istius excessus privato irae praeripimus & indignationis fervore occupato concedendam esse constantissimus nego & pernego. Satisfaciant modò ἀντιλοιδορίας Patroni illi principio, vindictam nimirum privatam injustam, illicitam atq; ideò severe interdctam esse, promptior omninò & paratior illorum subscripserim sententiae; Cateroquin nemo mihi & omnibus mecum sentientibus vicio vertet, si obfirmata mente actum privatae vindictae rancore nitentem improbandum maximè & pomœriis Nomothesiae sanioris exterminandum censuerim. Satis tempestivè injuria laesus se purgare & adversus audacem aggrefforem vindicare poterit, dummodo medium modumq; licitum fastidio aut contemptui habere duxerit opprobrio.

LXXII. Porro immane quantum decepti diversum sentientes, dum injuriam meae existimationi detrimenti quid inferre, nisi antequam hæreat & radices quasi agat, ea fuerit propulsata, sibi habent persuasum. Id equidem probare iisdem incumbit, meam existimationem famaeq; integritatem improbi & male feriatu hominis arbitrio subjectam esse. Uti autem id ipsum nunquam obtinebunt, sic quoq; omnis labor inanis meritò censendus, qui rei inani & inefficaci repellendae impenditur. Concedam ex superfluo, famae nostrae & integritatem & laesionem ex aliorum opinione potissimum pendere; nondum tamen eò ipsò probatum dederunt, quod probare sibi arrogarunt. Sive equidem probus sive improbus fuerit, ad cujus aures injuria prolata pervenerit, neutro tamen modo ea innocenti unquam dedecori. Prior meliorem longè de eò concipiet formabitq; sententiam; posterioris verò judicium pro sinistro habendum & ea propter nihili penitus faciendum, ab eò utiq; prolatum, qui non

olier

E 3

melie

anterioris frugis quam ipse injurians. Licet autem & id concesserim, contra injuriantem eam militare præsumptionem, ut si in tempore non reprimeretur, in majora & acerbiora erupturus videatur convitia; vicissim tamen poenam simul ac supplicium eò gravius severiusq; in se derivabit, quò pluribus & impudentioribus alium insultare contumeliis non erubuit.

LXXIII. Nec obest, quod videri omnino possit, irritari magis injuriantem injuriati patientiâ injurias non confestim retorquentis; Ego equidem inverterem hoc ratiocinium, quod quò magis obloquatur injuriâ lacessurus & perfremat, eò magis adversarius sui impotens penitus omne acerbitalis & maledicentiae virus in eum, quem semel adortus, evomet. Neq; itidem aptè satis cum percutiente ad injuriantem sequela ducitur; cum injuria affectus non illi subiectus sit discrimini cui percussus semel obnoxius. Effundat calumniator immanes criminationum & convitiatorum nimbos, nequicquam insontem afficiet; tuus latus & securus a heneo bonae conscientiae muro perfisset. Nulla itaq; adigit necessitas, ut quis iracundiae calore accensus ob rem inane & quam cordatus vir, & cui affectus moderari datum, ne suo quidem subduxerit iudicio, sui animi prodat impotentiam.

LXXIV. Eadem quoq; infirmitate laborat argumentum à defensione, in periculò mortis constituto comperente, ad nostram injuriarum verbalium retorsionem ductum: Ea equidem proportio, quæ inter aggressionem vitæ & ejus defensionem intercedit, in præsentis negotio morali haud quaquam obtinet; illam etenim inevitabilis necessitatis rigor operatur, cui vicissim in verbalibus injuriis locus penitus denegatur, concessis omnino legali sanctione remediis, eas in tempore satis vindicandi satis acerbis. Et ideò argumentum à majori ad minus non procedit, quoties ea quæ in majori obtinet ratio, in minori non procedit sed diversam potius dispositionem atq; decisionem expostulat. Multò minus autem Dn. Struvio dederim, affecto injuriâ adeoq; læso privatione honoris externi concedi vicissim læsionem eadem privatione obtingentem.

LXXV. Præterquam enim quod supplicia poenæq; publicâ quoq; auctoritate irrogant, eò nomine justæ dici haud quaquam mereantur, quod lædant aliquem aut dolore afficiant, sed quia boni publici  
ratio



ratio servari aliâ ratione ac propagari nequit, quam si pœnarum fulmina in eos stringantur, qui virtutum amore præmioq; meliorem ut inducant mentem sibi haud quaquam persuaderi patiuntur, & insuper prædicta sententia infirmari poterit, quod injuriâ laceffiri, sequestrato omni falsò inaniq; conceptu, honor ac existimatio atrocissimis etiam injuriis ne ullam patiantur iacturam. Et si ullam pateretur, resarciri ea judiciali auctoritate cen longè salubriori & efficaciore remedio posset, quam quod interdicta privati affectibus pravis ac illicitis occupati nititur ultione.

LXXVI. Eadem imbecillitate laborat Franzkii ratiocinatio, quâ, ex suppositò, injuriarum repulsionem inferre quandam relationem, inducit, eam ob rationem illam non confestim injustam dicendam, nisi præreliquis jure ac privilegio constituti in extremò necessitatis periculo. Sed verò huic ut omnes largiantur resistantiam etiam cum adversarii internecione patram, necessitatis periculiq; extremi efficit rigor, quem evitare non alia suppetit ratio, quam ut arma in adversarium injustè insultantem eaq; illa ratione excitantem iterum stringantur. Ea autem læsio, quam ex falsò præconcepta opinione injuriis verbalibus inferri sibi habent persuasum, necessitatis favorem participare vix poterit, cum salvus quis ac incolumis tempestivè satis proterviam injuriantis coercere, & si se læsum putaverit, vindictam pro ratione circumstantiarum & gravitate præprimis commissæ injuriæ satis acerbam petere possit. FRANZKIO & ipsemet quam promptissimus concederem, solam injuriæ negationem injuriâ insultato nihil vel parum profuturam, nisi accederet relædens quædam retorsio, dummodò hæc ipsa privatam & proinde illicitam non involveret vindictam, nec alia ipsi suppetere remedia, quibus resarcire damnum, quod sibi illatum falsò opinatur, valeret.

LXXVII. Nec minus Valentino Rimerio in faciem contradixerim, jus naturale privato ultionem lædentis r. specu concessisse; supra equeidem diversa sententia probata abunde atq; evicta, ut proinde eandem jam dum decoctam deano decoquendam apponere verear omnino. Nec patrocinari Rimerio quicquam poterit, quod aggressorem occidere adeò permittant jura nostra, ut brutis quicquid animantibus analogiâ quædam eadem concedatur. Ea quippe occisio supponit periculum non alia ratione evitabile, quam aggressore è mediò

mediò sublato: Id quod in casu, quò quis verbali laceffitus injuriâ, suspicari & timere nullo modo licebit, cum legalis sanctio eam ipsi largiatur vindictam, quæ publica exercetur auctoritate. Occisio insuper, quâ bos bovem interficit, in morali hõc negotio ne quicquam attendenda, cum subjecti incapacitas non patiatur sequelam, quam ab injuriâ verbali ad realem stant diversum sentientes.

LXXVIII. Omnium autem maximè mirari subit, non deesse, qui recriminationem privato molimine factam eò colore defensitare audent, quod ab irritato verbali injuria eadem expediatur, ac si hæc irritatio sua natura illicita atq; injusta recriminationem subsequutam salvare ac legitimam reddere valeret. Ponam, irritari aliquem injuria prolata, ex eò tamen non protinus inferendum, irritato privatam ultionem concedi debere; præprimis quod istiusmodi irritatio vano tantum injuriâ affecti nitatur conceptu, & irritans illa omissa haud quaquam impunis evadat. Ut ut etiam intentio retorquentis non sit, offendere iterum injuriantem, sed ea potius ratione famam suam & exultationem contra acerbum maledici hominis livorem defendere & illibatam servare; itidem tamen sola intentio & finis, nisi legitima quoq; media adhibeantur, actionem non reddit justam.

*Domin. Soto  
de J. G. 7. lib.  
5. q. 1. art. 8.*

LXXIX. Me ipsum quidem non latet, morales actus ex eò speciem sortiri, quod in intentione & proposito agentis consistit, dummodo tamen mediis minimè prohibitis intentio dirigatur in finem justum ac licitum. Alioquin sanior Jurisprudencia præcipit, non esse facienda nec intendenda mala, ut inde eveniant bona; alioquin furta, rapinæ & nescio quæ non delicta fallaci finis boni colore possent offuscari. Furetur aliquis aut rapiat violenter pecuniam eâ intentione eumq; ob finem, quod pauperum & egentium inopiam ea sublevare, aut piis usibus eandem destinare velit, intentio certè ac finis, quem sibi habet propositum ipsum actum haud quaquam justificabit, quod medium in morali hoc negotio id omnino intervertat impediatq;, quod finis alioquin fuisset operatus. Aurea omnino & ideò notatu dignissima sunt Da. Zigleri verba, & Scholastici, disferentis, dicunt, intentionem bonam ita dici non tantum ratione substracti sed etiam ratione connati, hoc est, non tantum ratione ejus, quod quis vult propter se, sed etiam ratione mediorum, quæ ordinantur in sic volitum, ut intentio aliter bona dici

*in Not. ad  
Grot. l. 2. c.  
22. §. 17.*

dici non possit, nisi utrumq; concurret, & bonitas finis & recta ordinatio mediorum ad finem.

LXXX. In eò quidem ἀνπλοιδορίας Patronis quam promissimus suffragarer, injuriantem effrenatæ suæ temeritati imputare debere, si in ipsum stringantur iterum arma ipsissima, quibus ante infontem adoriri haut erubuit; nisi ab illius vicissim parte privata vindicta, & quæ ex eâ oritur, illusio sanctæ Magistratus auctoritatis atq; contemptus diversam svalisset & persvalisset sententiam. Et licet non immeritò urgere possit injuria lacestus eam, quâ omnes obnoxii sumus, imbecillitatem, cujusq; intuitu difficillimum omnino videtur, dolorem ex injuriâ injustè illatâ justè conceptum temperare; Id tamen laborare omni misu convenit creaturæ rationali, animi æquitate cohibere affectus & juxta rectæ deinceps rationis, Magistratus exposcentis decisionem, suas dimetiri & ordinare actiones. Aliàs eqvidem homo à cæteris animantibus parum distaret, si id tantum sequeretur, quo pravi affectus eum agunt; cum talis inter rationem rectam & æstantes affectus intercedat pugna, qualis, ut utriq; quis obsequi moremq; gerere possit, non admittit.

LXXXI. Et licet non negem, mitius cum illò agendum, cui non est datum moderari animo, aut ita reluctari affectuum in præceptis agentium tyrannidi, quin referer de injurias se non privata vindicare auctoritate. In eò tamen hic quæstionis cardo, an justè is agat & ea exequatur, quæ rectæ rationis dictamen ipsi imponit. Oppidò potius contrarium ex textu allegatò colligere poterit, quisquis penitus casum & decisionem inspexerit, judicioq; sub duxerit. Quamvis eundem textum Dn. Bruunemannus de tali dolore ac de tali accipiat injuriâ, quâ vix gravior esse potest, & ubi ipsæ leges cum certis conditionibus vindictam privatam concedunt & gladium porrigunt.

LXXXII. Nec quicquam movet Rescriptum Imperatorum, quo ultionis arbitrium cuilibet putant concessam. Neq; enim errare putaverim, qui per ultionem non offensionem sed defensionem maluerunt intellectam; cum & ipse Cicero scribat naturam habere duas partes, cautionem sui & ultionis i. e. defensionis

F

tionis

*Ant. Perez.  
præl. in Cod.  
diçt. tit. n. 11.*

*L. 4. C. ad L.  
Jul de Adult.*

*Com. ad tit.  
Cod. de me-  
tat. & epidæ.  
p. 2. cap. ult.  
n. 9.*

*l. 1. C. quando  
lic. unicui.  
fin. jud. se  
vindic.*

*l. 30. in fin. C.  
de pactis.*

*Sigis. Finc.  
Relic. obs. 37.  
n. 48.*

tionis jus. Et fortè ipsi reuersionis verbalis Patroni vix admit-  
tent, ut ultio propriè sic dicta ibidem intelligatur, cum non con-  
cedant, reuersionem esse vindictam, sed potius defensionis spe-  
ciem. Et imò favor agricultura, cujus intuitu alia multa singu-  
laria in iure nostrò constituta, expostulavit, ut quis propriâ aucto-  
ritate se ulcisci & aduententem expellere possit. Nimirum pro-  
vinciales solebant metata i. e. hospitia militibus in oppidis ran-  
tum, non autem in villis præstare. Postquam autem milites co-  
erceri ad eò & intra terminos legalis sanctionis contineri non po-  
terant, agrorum potius possessoribus maximo non rarò oneri esse  
cæperint, incumbere utiq; iisdemid omni laborare opera, ut  
repellerentur in tempore, quibus hospitia militum designate de-  
mandatum.

LXXXIII. Ea propter tamen ex privata vindictâ id oriri,  
dici haud quaquam poterit, cum provinciales lege permittente id  
fecerint, omni proinde pœnâ exempti. Interim ejusmodi pro-  
pulsatio suo non destituta fundamento: Sicut equidem civibus  
omniò caveandum, ne metata, utor verbis acutissimi  
Istorum Taboris, legitimè indicta derectent, neve ma-  
num metatoris delectant, aut hospitem morosè excipiant tracten-  
ve; ita si hospes præterfas & æquum se ingerat, utiq; tuto poterit  
ei resisti. Eò ipso enim dum designantes hospitis contra legalem  
agunt interdictionem & in re versantur illicita, meritò ab iis re-  
pelluntur, quorum securitas juxta ac immunitas legali nititur  
auctoritate. Nec infreqvens ad eò in iure nostrò, ut si quis in do-  
mum alienam quid immittat, destitutus tamen iure immittendi,  
rescindi id & resarciri ab eò possit, cui libertas ædium suarum  
curæ cordiq; cum in alienis rebus contra Domini volunta-  
tem aliquid fieri vel pacisci tempora Justiniani nostri non fuerint  
passa. Quin imò textus allegatus ne quidem de propulsatione  
injurie verbalis, sed realis tantum, quâ metatores repellebantur,  
conceptus. Nec minus tandem licentiam hanc & permissionem  
repellendi metatorem ex peculiari Imperatorum dispensatione  
sen concessione oriri ex verbis, *licentiam enim Domino actori ipsiq;  
plebi serenitas nostra commisit*, abunde diluciscit, juris communis  
dispositionem contrariam esse.

LXXXIV.

LXXXIV. Frustra in super retorsionis nostræ justitiam ex eò probare præsumunt, quod retorquens non id agat, ut alteri noceat, sed ne sibi noceatur: Neq; enim hæc propositio universaliter & sine discrimine, sed cæteris demum paribus vera. Licet enim dederim, retorquentes id, quod supponunt illius defensores, intendere; attamen cum re ipsa alteri vicissim inferat injuriam & eò ipso privaram exercent vindictam, ideo ex solò hoc fundamentò ἀντιδικηία insanabile contrahet vitium, cum, uti non una dictam vice, intentio bona ad actus bonitatem & justitiam non sufficiat, sed media etiam bona ac justa concurrant, oportet. Quamvis etiam retorquens primariò non intendat alium lædere, secundariò tamen & per consequentiam, dum injurias illatas eadem auctoritate remittit, quâ auctoritate eadem immissæ, id facit contra generalitatem principii innati, neminem esse lædendum, nec distinguens directò an per indirectum illud fuerit factum. Neq; respiciendum hic ad damnum, quod injuria affectus per retorsionem injurianti intulisse viderur, id e quidem sua culpa sibi fabricavit, sed ad modum, quò illud inferatur, licitusne an illicitus ille judicari debeat.

LXXXV. Ulterius juris iniqui retorsionem minus aprè ad partes vocant; ipsos e quidem Retorsionis patronos fateri ingenuè oportet, juris novi retorsionem exerceri à Magistratu in suum suorumq; civium utilitatem. Quia imò jure Saxonico expressè denegatur privatis exercitium juris retorsionis: Placet verba ipsa huc transferre: *Die weil sich aber gemeiniglich zuträgt/ daß nicht die Privat Personen/ sondern die Obrigkeit selbst hieran schuldig/ so ist auch in denen Schöppen Stühlen biß anhero nicht unbillig erkandt worden/ daß nicht die Privat Personen/ sondern hinwieder auch die Obrigkeit solches jus retorsionis zu exerciren und vorzutwenden haben soll.* Quod si itaq; casus aliquis contingat, quò de jure retorsionis disceptari solet, ad Magistratum res deferenda, cujus est arbitrari, an illud locum habeat nec ne. Et merito: cum enim non incolæ, sed personæ tantum publicæ in

*Strav. de  
vind. priv. c.  
11. aph. 4. & 5.  
n. 22.  
P. 3. const. 38.*

*Jacob. Thoming. dices. 26 n. 36. Matth. Berlich. p. 3. concl. 51. n. 30. C. 31. Carpz. jur. prud. for. lib. 3. const. ult. defin. 10.*

æqualitatem antea exercuerunt, ideò & soli Magistratui jus retorsionis concedendam. Quanam igitur applicatio hujus juris ini-  
 peditur auctoritate, privatamq; proinde sapit vindictam? Fru-  
 straneum itaq; omnem eum laborem dixerim, quem collationi  
 & æquiparationi utriusq; retorsionis impendit Hahnus, cum u-  
 traq; diverso planè nitatur fundamento, & ideò non admittat  
 sequelam & argumentationem ab unâ ad aliam ductam. Sicut  
 illud quidem concedo, retorsionem nostram vel potius *αὐλοδο-*  
*εῖα* jure permittente fieri. i. e. moribus impunem relinqui; ita  
 vicissim nego, convivium retorsione prolatum non esse convi-  
 tium: cum illud suam non deponat naturam & turpitudinem  
 sive prolatum initio, sive relatum fuerit.

*Brunnem. ad L. 10. w. de compens. Struv. synt. jur. civ. exerc. 21. thes. 15. Eckolt. compend. Pand. de comp. S. 3. Zang. de except. p. 3. c. 8. n. 121. Andr. Gail. lib. 2. obs. 100. n. 9. Hart. Pistor. obs. 281. n. 2. in l. 36. w. de dolo ma. o. ad dict. l. 10. n. 2.*

LXXXVI. Porro dum vulgatum illud Doctorum, paria delicta mutua compensatione tolli, defendendæ retorsionis justitiæ substernunt, directò id concedunt, cui avertendo omnem adhibuerunt operam. Quod si enim retorsio delictorum classi accensenda, quâ quæso ratione defensionis speciem constituere poterit. Quæ enim consortii aut communionis ratio delicto cum licita & omni jure approbata defensione intercedit? Et si rem ipsam penitus inspexerim, dictæ illud non erit universale, sed in illis tantum obtinet delictis, ex quibus pecuniariè aut civiliter, non autem in quibus ad pœnam corporalem vel fisco debitam agitur. In actione præprimis injuriarum verbalium nullam admitteri compensationem, sed utriq; competere actionem injuriarum communiter statuunt Doctores. Et quamvis etiam pœnam, universale illud esse; itidem tamen retorsionis justitiæ evincendæ ne quicquam patrociniabitur, cum mutua illa delictorum parium compensatio non contingat relatione delictorum sed opposita in judicio exceptione, quâ actio ab alterutra parte intentatâ evitari & repelli potest. Et eò spectare puto illud Marciani, si duo dolo malo fecerint, invicem de dolo non agent. Quam regulam tamen notabiliter limitat Dn. Brunneemannus, si non agatur de mutuo dolo: quod si verò unus negligens sine dolo, alter verò in dolo constitutus, non potest dolus cum negligentia com-

com-

compensari, sed dolus præponderat culpæ, & culpa lata præponderat levi.

LXXXVII. Eiusdem farinae est argumentum ab actione ad palinodiam ad nostram ductum retorsionem. Præterquam enim quod ea jure civili penitus incognita & moribus demum introducta, allegato in super vitiò laborabit seqvela inde ducta. Hæc æquidem uti publica autoritate, prævia causæ cognitione, & aucta utraq; tam lædente quam læsa parte, intentatur atq; perficitur; ita versa vice retorsio injuriarum verbalium non nisi privata auctoritate, & quam ea supponit, animi affectuum turbine agitati rancore nititur. Compellet injuriâ laceffus injuriantem sive civiliter seu criminaliter pro ratione & atrocitate injuriæ, id tantum ager, quod omnibus eidem concessum juribus: eâ immunis in culpatione, ac si in propriâ causa, propria sibi jus dixerit potestate. Et ut verum fatear, actio ad palinodiam non alia fini moribus inducitur, quam ut inanis injuria insultato, lædiq; existimationem famamq; maledicentiâ improbi alicujus & male feriatu hominis falsò opinanti eximatur conceptus; non secus ac retorsio ex eodem fundamentò ut impunis hætenus in civilibus tolerata societatibus.

LXXXVIII. Propius jam manus admovenda enucleandis solvendisq; textibus juris Romani, ex quibus nostram ἀντιλοιδόρσιαν luculenter satis probari posse sibi habent persuasum eidem patrociantes. Et initio quidem, ne obicem ulterius ponat, removenda Florentini sententia, quæ jure quis fecisse existimatur, si vim atq; injuriam propulsaverit. Dixerim igitur, textum illum nequaquam de injuriâ verbali, sed reali tantum, & quæ corpori infertur, conceptum esse, motus, partim verbis *ob tutelam corporis* partim, verbis finalibus *hominem homini insidiari*, partim deniq; voce *propulsare*. Hoc enim nihil aliud est, quam periculum ab armis corpori alicujus imminens atq; instans pellere procul, & ne lædat afficiatq; corpus ipsum, in tempore amovere. Istiusmodi autem propulsationem non admittit convitii repetitio: id æquidem, antequam proferatur, sensus exteriores non incurrit, & si jam projectum fuerit, eò ipso momentò consummatum est, &

Herm. Vult.  
ad § 6. Inst. de  
injur. n. 6.  
Heinr. Hahn.  
ad Wesenb. de  
injur. n. 18.  
Carpz. prax.  
crim. part. 2.  
q. 94. n. 19.

L. 3. §. de  
J. & J.

ideo, nè consummeret, propulsare id non est necesse. Cui firmando insuper accedit, famæ aut existimationis in dicto textu nullam fieri mentionem.

Bachov. ad  
Trencl. v. 3.  
Disp. 30. in fin.  
Dn. Serruv. de  
vindic. priv.  
c. 10. spb. 6.  
n. 3.

De J. B. P. lib.  
2. c. 11. n. 11.

§. 1. Inst. de  
tut. Dn.  
Serruv. exerc.  
31. tb. 3.  
l. 14. §. 6. w. de  
bon. libert.

LXXXIX. Nec quicquam moveor diversum sententiarum interpretatione, quæ vim ad corporis, injuriam verò ad famæ & existimationis offensionem restringunt: Putaverim potius verba illa *ὀνομαστικῶς*, esse accipienda, & vocem injuriæ prioris verbi vis declarandi causa subjectam esse. Nimirum inuere subjecta voce injuria animus erat Florentino, non quamvis vim propulsare licere, sed eam demum, quæ injusta est, seu ut ita dicam, injuriosa. Quod si verò vis justè alicui inferatur, eam propellere minime omnium convenit; cum vigore vulgati & recepti dictæ ubi offensa licita, ibi defensio illicita censenda. Ex quò fundamentò apparitoribus aliisque potestatis civilis ministris officii sui limites non excedentibus temere & injuste resisti me alibi pluribus deduxisse memini. Nec inusitata penitus aut incognita juri Romano hæc disponendi formula, quæ copula & non semper conjungit separata, sed ea etiam quæ synonyma vel voci præmissæ dilucidiorum conciliant intellectum: exempli loco sisto descriptionem tutelæ.

XC. De cæterò majorem scrupulum concitare videtur Ulpianus, cui tanquam firmissimò fulcro innituntur retorsionis justitiæ suffragantes. Res tamen facilis evasura, modo casus textus Ulpianei probè prius fuerit figuratus: Nimirum libertus Patroni sui filium criminis læsæ Majestatis accusavit; cui inculpationi ut hic se subtraheret, calumniosè se accusatum ostendit, desiderando simul, ut ob calumniam illam commissam libertos capite puniatur. Quæstio inde exorta, an Patroni filius beneficio honorum possessionis contrabulas testamenti, ipsi alioquin jure suffragantibus competente, eò ipsò se indignum reddiderit, quod libertum capitis accusaverat? Negativè hanc quæstionem decidit Ulpianus, subjiciens simul ampliationem; eandem sc. decisionem obtinere si Patroni filius & alia in libertum retorsit crimina. Utriusq; decisionis eam subjicit rationem: *ignoscendum enim est ei si voluit se ulcisci provocatus.* Ex quâ casus formatione



matione ad oculum patescit, in dicto textu non agi de retorsione ex illicito orta affectu, sed de accusatione judiciali publica; intentata auctoritate, aut, si durius id alicui dictum videatur, ob reverentiam forte, quâ libertus Patroni quoque; filiis adstrictus, exceptione in iudicio opposita; cui tamen utriusque; cum illa nulla plane confortii intercedit ratio.

XCi. Neque enim vox *ulcisci* in predicto textu privatam notat ultionem, sed vel defensionem, vel eam etiam vindictam, quæ iudicis experitur officio. Et jure omnino suo, sive per modum exceptionis sive per modum re accusationis Patroni filius in libertum ea remisit crimina, quibus ipse ab illo judicialiter impetrus; præprimis quod liberto potius convenisset, omni obsequiorum genere Patrono ejusque; filio se promptissimum præbere, quam adeo atrocissimi criminis eundem accusare. Cum itaque; Patroni filius, dum jure suo utitur, nemini fecit injuriam, ideo nullam quoque; contraxit culpam, nec ullam proinde incurrere potuit pœnam, minus multo privati beneficio bonorum possessionis, Prætoria benignitate ipsi indulto. Et imo licet ex superfluo dederim, intelligi in dicto textu retorsionem privatam ausu factam, JCrus tamen non decidit, jure id factum fuerit nec ne, sed impunem eam, & hætenus ignoscendum ei voluit, ne à successione liberi ea propter repelleretur. Neque enim quicquam ex lege illa apparet, intentionem Ulpiani fuisse, quod in retorsionis justitiam investigare voluerit, sed potius Patroni filius de facto retorsit, & quâ beneficium bonorum possessionis id condonandum ac impune relinquendum esse censet JCrus, motus ratione subjecta: *ignoscendum enim est ei, si voluit se ulcisci provocatus.* Ex eodem autem *ἀντιλογίας* factum non protinus, ut per se & suam naturam justum atque legitimum ad probatur; actus quippe impunis cum actu justo haud quaquam confundendus.

XCii. Idem igitur Dn. Struvio vix concesserim, ad probandam retorsionis justitiam ex illa lege elegans duci posse argumentum: ab illa eadem re accusatione in iudicio instituta, quâ Patroni filius libertum ideo capite puniri desideravit, quia ipse antea ab eodem criminis Majestatis injustè & ex calumniâ accusatus, minus

*Dn. Brunner  
ad dist. l. 14.  
§. 6.*

*L. 9. w. de  
obs. Patron.  
& parent.  
præst. L. 20. C.  
de his qui ac-  
cus. non pos-  
sunt.*

*Buchov. ad  
Trentl. Vol 2.  
disp. 30. in fin.  
Georg.  
Franzk. lib. 2.  
resolut. 23. n.  
37. & seq. Ta-  
bor arm. Just.  
de legit. arm.  
usu b. 2. n. 23.*

*de vind. priv.  
c. 10. apb. 6.  
n. 5.*

apre

aptè infertur ad retorsionem injuriarum privatò anso factam. Et licet fortè ad evincendam impunitatem retorsionis dictum rextum quicquam facere largirer, justitia tamen ipsius exinde nè verbulo quidem probatur. Nego insuper Da. Struvio, rege-rem convitia non committere injuriam: convitia enim manent & permaneat convitia, sive proferantur iaitio, sive referantur ex post factò. Concedo tandem, rationem ab Ulpiano subjectam generalem esse, & in illa non tantum offensione, quæ armis, sed & quæ verbis infertur, obtinere, modò ultio eo, i. e. legitimo pe-  
ratur modo, quò in dictò casu eadem intentata.

l. 25. w. de  
Procur.

XCIII. Cæterum infirmius longè & debilius ex Ulpiani Responso struunt argumentum. Ad dilucidiorum illius intelle-ctam casum prius figurare allubescit: Actor nimirum Procurato-rem suum ab officiò & quidem post litem contestatam remove-re volebat, & ut id eò facilius expediret, falsam & talem quidem præ-tendit causam, qualis famam Procuratoris & existimationem apud alios onerabat; Utpote, quod cum adversariò suo colluse-rit, aut aliud quid in fraudem causæ fuerit machinatus: Procu-rator igitur ut suam monstraret & probatam daret innocentiam, Dominum mentiri reposuit. Quæstio inde exurgebat, an Prætor de veritate vel falsitate objecti cognoscere debeat, ita tamen, ut durante cognitione Procurator ab officiò suo non possit repelli? Negativa ab initiò quæ posteriorius membrum arripienda videba-tur, quia Procurator eò ipsò, dum Domino invito operas suas ob-trudit, se ingerere & exinde suspectum quodammodo arguere videtur. Sed verò, utut regulariter verum id sit, in casu tamen ab Ulpiano propositò circumstantiæ aliam exoptulârunt decisi-onem. Cum enim eò sine eâq; intentione à Procuratione non prius voluerit desistere, utut alioquin cedere omninò paratus es-set, quam à crimine vel convitio sibi in iudicio à Domino obje-cto se suamq; purgaverit innocentiam, eum omninò audiendum esse censet Ulpianus.

XCIV. Quid itaq; quæso consortii huic negotio civili cum nostra intercedit ἀντιλοιογία? Haud quæquam quæstio, an Pro-curator ab objectò crimine se purgare possit, quæ decisa in alle-gato

allegato textu, cum eâ questione an Procurator, recte Dominum mendacii arguerit, aut an Dominus habeat actionem injuriarum, nequaquam confundenda. Cum autem Ulpianus non quid fieri debuerit, sed quid factum sit, tantum referat, ideò verba illa non dispositivè sed narrative tantum intelligenda. Et imò totum totum id negotium in iudicio & coram iudice ventilabatur. Neq; enim Procuratoris mutatio post litem contestatam aliter procedit, quam causa cognita, cum Procurator eò tempore Dominus litis factus; causæ autem cognitio iudicalem supponit auctoritatem: Nostra vicissim retorsio non nisi privatam sapit vindictam. Et ex eò ipsò, dum Jocus partes ad Prætorem, ut ille cognoscat, an falso Dominus Procuratorem objecti criminis insimulaverit, remittit, satis comprobari puto, nostram ἀντιλοιδόριαν, utpote, quæ factâ omnia abunde composita, adeò, ut nec retortus retorsionem reiterare valeat, prædictò textu probari haud quaquam posse; cum Procuratoris existimatio non per illa verba *mentiris Domine*; sed per sententiam Prætoris, de causa illâ cognoscentis, integra & illibata servetur.

XGV. Ultimò tandem retorsionis Patronos nè quicquam juvabit, quod ea, quæ vi & clam exstructa, vi iterum & clam demoliri liceat: cum ipsemet Ulpianus censeat, hoc non nisi ex magnâ & satis necessaria causa fieri debere, alioquin hæc omnia officio iudicis celebrari oportere. Quid itaq; de illorum sententia iudicandum, qui ἀντιλοιδόρια oneratos affectosq; infamiâ notari sibi habent persuasum, ex dictis pronò, ut solet dici, alveo fluere videntur. Famam & existimationem nimirum eorum tam diu periclitari putant, quam diu convitium atq; delictum, cuius alium antea insimulaverant, non dederint probatum. Sed enim vix assim *ἀντιλοιδόριας* interpositioni eam tribuere efficaciam, quæ planè in nullius privati consistit arbitrio. Equidem, sicut injurias evomens impotens nimis, ut suâ convitiandi putrigine illæsæ alicujus existimationi reipsa vel minimum posset detrahere aut nocere, sic nec convitiis, ab illò, qui insons iisdem affectus, repetitis ea vis tribui poterit, ut afficiant eum lædantq; quem regerens ea ipsa innocentem ac innoxium iudicasset, nisi convitiis ab ipsò fuisset

G

*Brunnem. ad d.l.n 5.*

*Sigism. Finkelst. obs. 37. n. 27.*

*l. 17. w. de Procur. l. 22.*

*C. eod.*

*Bachov. ad Treut. v. 2.*

*disp. 30. in fin.*

*Dn. Struv. de de vind. priv.*

*c. 10. aph. 6.*

*n. 4.*

iniml.

insultatus. Convitiis equeidem eandem paremque; transcribo impotentiam, sive ab injuriante eadem primitus eructata, sive ab eo, qui se laesum iisdem sibi habebat persuasum, reperita fuerint.

*L. 1. π de his  
qui not. in-  
fam.*

*L. 12. C. de his  
qui not. in-  
fam.*

XCVI. Etenim sive infamiam juris sive infamiam facti velint intellectam, neutram tamen à retorquente retorto, ut ita loqui liceat, irrogari non dubitaverim asseverare. Non illam, quia hic deficit auctoritas juris, eum, cui obtingit retorsio, infamia affici debere, facientis. Neque enim tale factum retorsio injuriarum est, quod immediate nulla iudicis sententia expectata leges notant, quale est si quis in scenam prodierit quæstus faciendi causa. Neque iudex etiam cordatus sententia de super lata retortum infamia notare poterit, cum bona fama res longè pretiosior sit, quam ut illius conservatio juxta ac diminutio ex privati hominis arbitrio ac voluntate dependere possit. Nec hanc, cum ea supponat factum aliquod proprium, quod ob suam turpitudinem existimationem alicujus apud bonos & graves viros onerat; in presenti autem negotio morali cessat factum illius, cui retorsio facta, quo fama ejus periculo exponi posset; Nec cordatus etiam vir eapropter illum judicabit infamem, quod in ipsum verba injuriosa fuerint retorta, optimè potius suo subducet iudicio & levitatem verborum inanum, & animi simul illius, qui affectus regere nescius judicialem auctoritatem supervacuam habere non erubuit.

XCVII. Neque ulla retorquentis ratio habenda: ut ut enim ille iræ & vindictæ illicitæ plenus injuriantem ab aliis profure vel nebulone haberi velit, exinde tamen cordatiores eundem non confestim pro tali censebunt, dummodò aliàs incorruptæ ac integræ vitæ famæque sit. Quod si verò juxta inanem vulgi opinionem ac persuasionem negotium hoc dimetiendam foret, res omni exempta esset dubio; illi equeidem adeò firmiter hæret, pati jacturam bonam alicujus existimationem solis verbis in contemptum ipsius ex animi prolatis impotentia. Sed verò periniquum dixerim, crudum rudis incultaque plebis, cui aliàs pro consilio impetus & pro ratione audacia, iudicium ad partes vocare. Cæteroque multi laborarent infamiâ, & ex collegiis præcipue opificum exulare deberent;

berent; Quibus tamen moribus penitus extirpandis nunquam satis laudabilem operam adhibuerunt Imperatores, in tot eâ finit editis Imperiorum recessibus. Nec minus tandem cum iis hic contenderem, qui peractâ ἀντιλοιδόρῳ lacerato injuria nullum ulterius competere legale remedium, cujus vigore perulantiam injuriantis compescere, & ut alii illius deterrerentur exemplô, civili quodam efficacia impetrare possent; nisi recepti moris virtus mihi resisteret. Aliàs certè mihi quam persuasissimum, argumenta ac ratiocinia ita sententiarum tanti ponderis minime censenda, ut contraria ac saniori occupatos sententia in diversum agere valerent.

XCVIII. Nego equidem & pernego, injuriâ affectum regerendo eandem sibi satis prospicere aut si quâ macula ex mente retorquentibus faventium illa adpersa, per factam ἀντιλοιδόρῳ eandem purgari. Et quippe audacia, quâ injurias evomens illibata alterius inhiat existimationi, & retorqueas eas iterum eructat; neutro eâ ratione proximi sui charitatem observante, utraq; potius privata vindictâ livore calumnias proferente. Et licet retorquens eò ipsò minus rectè agat, quo convitia privata regerit auctoritate, legitima tamen via, quâ temeritatem injuriantis atq; proterviam publicæ ultioni submittere potest, ea propter ipsi non erit præcludenda, nè aliàs id, ad quod peragendum securâ quis allectus impunitate, ipsi justitiæ sanctitati ullum crearet præjudicium. Alapa certè percusso facultas Magistratui deferendi injuriam eâ ipsa sibi illatam idèò minime demeganda, quod ipse fortè iracundiæ calore incensus alteri iterum colaphum impegit.

XCIX. Ulterius urgent, retorquentem remittendo convitia, quibus ante insultatus, propria auctoritate sibi ipsi satis fecisse, ut proinde judicis auctoritatem implorare, aut injuriarum actionem instituere non habeat opus. Sed verò confundunt defensionem cum vindictâ & ultione. Ipsi equidem ἀντιλοιδόρῳ Patroni tunc demum eandem permissam ac licitam perhibeat, quando defensionis terminos retorquens minime transgreditur. Cum itaq; defensio & vindicta hand quaquam confandi debeant, & is, qui sese defendit, non statim vindictam experit, idèò & retorquens regerendo injurias sibi illatas non id agit, ut se ipsum ul-

Heim. Habn.  
ad West. tit. de  
his qui noc.  
inf. n. 2.  
Carpz. p. 2.  
decis. 112. D.  
Struv. exer-  
cit. 7. lib. 21.

cisca-

l. 53. w. de O.  
& A.

ciscatur, sed tantum ut se contra injuriam tueatur, & quo minus ea hæreat aut operari quicquam possit, laboret. Tandem nec id firmo statuto, quo ex verbali injuria duo remedia & retorsionem & actionem injuriarum oriri, nec alterum alterò consumi asserunt. Id quidem ex juris Romani principiis constat, quod, quoties ex unò facto delictive plures nascuntur actiones ad unum tendentes finem, toties unam per alteram consumi; nam si ex unâ, respondente Modestino, obligatione plures actiones nascuntur, unâ tantummodo, non omnibus utendum est; Hæc tamen minus aptè & feliciter præsentis negotio accommodari poterunt. Præterquam enim, quod retorsio actionum classi nullibi assignata, Nomothesiæ potius Romanæ invisa sit, ea insuper non ex injuriâ illata, sed ex impatientiâ & male disposito injuria laceßiti & illicitam experientis ultionem animo resultat.

C. Neq; id etiam concesserim, instituentem actionem injuriarum ac retorsionem eundem intendere finem, ut proinde una per alteram tolli debeat. Retorsio equidem ex animò illi Patrocinantium ad id tendit & ea propter expeditur, ut injuria, quæque ex ea alioquin oriretur, contumelia, avertatur ac repellatur in tempore & antequam vires suas atq; operationes debitas adipisceretur, dummodo natura verborum admitteret, ut ita ex votò propelli ac propulsari possint. Actionem vicissim injuriarum intentans, sive criminaliter sive civiliter, vindictam prosequitur, & ut injurians pro malò culpæ injuria illata commissæ malò poenæ afficiatur, & ipse non minus ac alii, quo impostertum ab injuriis evomendis abstineant, coerceantur. Neq; enim circumspèctus causarum Patronus ita injuriarum libellum concludat, ut petat tantum, amoveri iterum ac abstergi injuriam auctori illatam, sed potius supplicio poenæq; subjici eandem eructare non veritum. Concludere itaq; ac inferre ex dictis in universum non dubitaverim, retorquenti perpetuo patere, non attendita *ἀντιλοιδόρεια*, viam implorandi sanctam Magistratus auctoritatem, injurians ut delicti poenæ experiat rigorem, discatq; impostertum proximo suo id tribuere, ad quod ex implantata obstrictus lege & dediscat vicissim bonæ alterius existimationi & famæ quocunq; modo insidiari.

SOLI DEO GLORIA.

01 A 6611


ULB Halle 3  
003 092 313




R

Wm











DISSERTATIO  
ANTIΛΟΙΔΟΡΙΑΣ  
JUSTITIAM  
Impugnans  
AUCTORE  
MICHAELE FRIDERICO LEDERERO  
J. U. D. & Acad. VVitt. P.P.



Typis MICHAELIS MEYERI, Anno 1672.